ΠΕΡΙ ΤΗΣ

ΕΥΛΟΓΟΥ ΕΞΑΓΩΓΗΣ.

VETERUM PHILOSOPHORUM PRAECIPUE STOICORUM DOCTRINA DE MORTE VOLUNTARIA.

SCRIPSIT

M. M. VON BAUMHAUER,
Phil. Theor. Mag., Lit. Hum. Doct.

TRAJECTI AD RHENUM.
TYPIS MANDAVIT N. VAN DER MONDE.
MDCCCXLII.

ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΕΥΛΟΓΟΥ ΕΞΑΓΩΓΗΣ.

VETERUM PHILOSOPHORUM PRAECIPUE STOICORUM DOCTRINA DE MORTE VOLUNTARIA.

SCRIPSIT

M. M. VON BAUMHAUER,

Phil. Theor. Mag., Lit. Hum. Doct.

TRAJECTI AD RHENUM.

TYPIS MANDAVIT N. VAN DER MONDE.

MDCCCXLII.

Hist Salter

VIRO CLARISSIMO

SIMONI KARSTEN,

PRAECEPTORI AMICISSIMO,

D. D.

AUCTOR.

Jucunda mihi semper fuit recordatio, Praeceptor dilectissime, praeteriti illius temporis, quo tua animi moderatione, morum mansuetudine, doctrinae elegantia, in me, optimi Patris cura privatae tuae disciplinae tradito, cum antiquorum scriptorum admiratione ardens et constans discendi studium excitasti. Itaque factum est ut, quum statuissem hanc meam commentationem typis mandare, Te adirem et ex Te, quem non tantum Praeceptorem optimum, sed amicum sincerum semper cognoveram, quaererem, ut hoc qualecumque opus tua prudentia moderarere. Quae spes me non tantum non fefellit, sed multo etiam plus, quam a Te petere ausus essem, mihi praestitisti; quum non modo libris quos desiderarem e lauta tua bibliotheca suppeditandis, verum etiam consiliis tuis monitisque impertiendis facilem Te promptumque mihi semper praebueris. Sed quid tua in me merita

nunc praedicem, pro quibus debitas referre gratias frustra coner? Ego ut optime sentio quid Tibi debeam, fructus quotidie percipiens ex beneficiis quibus Tibi me obstrinxisti, ita probe intelligo Te non vanis laudum praeconiis, sed discipulorum studio, industria et optimarum artium amore devinciri.

Quum autem verear, ne facile in temeritatis aliquam vel arrogantiae suspicionem incurram, argumentum mihi vindicans in quo elaborando summi adeo viri sudaverunt, paucis quid rei sit, quae suscepti operis fata, Tibi exponam. A quo inde tempore academicum stadium ingressus sum, Pater carissimus quum animadverteret studiorum genus, quod ipsi maxime placuerat, me quoque tenere, continuo me monuit, ut opus, quondam Wyttenbachii *auspiciis inceptum et a summo viro in* Annotationibus ad Platonis Phaedonem *et in* Miscellanea Doctrina *commendatum, deinde vero propter rerum publicarum conversiones privatasque calamitates intermissum et paene oblivioni mandatum, ipse susciperem. Inveniebam apparatum maximum summa cura a Patre collectum, ut magis materiae copiam reformidarem quam argumenti inopiam quererer. Ad opus igitur me accinxi, sed verecunde; suspiciebam enim cum* Wyttenbachii *auctoritatem tum Patris diligentiam; verebar maxime ne vel aliorum rivulos consectari vel cognita pro incognitis habere vel in rebus obscuris neque necessariis nimis magnam operam consumere viderer.*

His rationibus motus non tantum ipsos fontes denuo adeundos pertractandosque mihi esse duxi, sed prius etiam in alio quodam argumento vires experiri malui, quo magis instructus ad hoc opus accederem. Mihi autem cum literarum disciplina juris studium conjungenti argumentum illud eo magis arridebat, quod in eo pulcerrimum utriusque studii concentum manifesto animadverterem, atque intelligerem juris scientiam non illud spectare, ut sophistarum more pro caussarum varietate alio die pro justitia, alio contra justitiam dicamus, sed ut, uberrimos doctrinae et humanitatis fontes aperientes, his et animos alamus ad justique studium formemus, et ingenia erudiamus atque acuamus, ut in quaque caussa quid verum, quid probabile sit, quid in utramque partem disseri possit et quomodo, discamus.

Quod autem ad ipsum opus attinet, bifariam illud partiendum duxi ita, ut priore commentationis parte adumbrarem Stoicorum doctrinam, item ceterorum philosophorum de morte voluntaria sententias brevi conspectu proponerem; deinde alterâ parte tum leges et remedia, quibus tam antiqui quam recentiores istum corporis animive morbum vel humanae naturae errorem coërcere vel sanare conati sunt, tum horum ipsorum caussas, rationes et nexum inquirerem, simul adderem brevem disquisitionem de recentiorum de hoc argumento sententiis, ut ita pro viribus gravissimam hanc quaestionem absolverem.

Ut enim recentiores in hoc Stoicorum placito dijudicando plerumque Stoicae philosophiae fontes non presse secuti, neque ipsam hujus indolem satis perspexisse, sed vel Plutarcho *recentiorumve judiciis nimium tribuisse vel Stoica placita cum Platonicis, Christianis aliisve confudisse mihi videbantur; ita quoque animadvertebam plerosque, qui de voluntaria nece scripserunt, magis suum sensum secutos esse, quam corporis mentisve statum, fortunae calamitates variasque caussas, quae hominem ad tam triste consilium impellant, attendisse, factumque ita esse ut plerique populi hanc actionem legibus vel poenis quam physicis et ethicis remediis coërcere maluerint.*

Non miraberis, Praeceptor dilectissime, grati animi sensum me adduxisse ut, sicuti Patri primam, ita Tibi alteram hanc commentationem inscriberem; in qua scribenda quum nihil aliud studuerim quam ut doctis recteque sentientibus mea opera non prorsus ingrata foret, Tibi si eam satis probari sentiam, aliorum quoque judicia minus timide exspectabo. Valeas amicis discipulisque carus, Academiae Patriaeque utilis; mihi vero etsi alia studia minus fortasse temporis literis impendere concessura sint, eadem amicitia et benevolentia ut constanter me prosequi pergas, etiam atque etiam opto.

Scripsi Traj. ad Rhen. m. Nov. MDCCCXLII.

EXORDIUM.

Ad philosophiae interiorem cognitionem, cum nullius profecto sectae placita apud antiquos magis valuerint quam Stoicae, eaque ita conformata excultaque fuerit, ut hodieque ejus cognitio utilis sit ac necessaria; descriptionem ejus brevi complectemur, et primum quidem de principiis, e quibus ducta videatur, paucis monebimus.

Stoica disciplina, tanquam rivulus a communi fonte Socratica doctrina ductus, in moralibus profecit maxime a Socraticis ([1]) atque Cynicis. Horum praeceptis a Cratete quum imbutus esset Zeno, Stoici, ut ait Cicero, facti sunt paene Cynici, multaque horum dogmata ut sua adscive-

([1]) Krische, Forschungen auf dem Gebiete der alten Philosophie, S. 363 ff., Vossius, de Sect. c. XIX, § 4, Morhof, Polyhist. Tom. II, c. IV.

runt: „Hominis naturam" ait Seneca ([1]) „Stoicos vincere, Cynicos excedere". Cynicorum doctrinam redolent praecipua eorum placita: sapientem sibi sufficere: ejus esse omnia: nihil ei novum videri: regem esse: non ad legem, sed ad virtutem vivere: virtutem sufficere ad beatam vitam: eam rebus factisque, non verbis contineri: sola bona pulcra, mala turpia: finem hominis esse secundum naturam vivere: placita de nece voluntaria, de morte contemnenda: denique rejecta a Zenone ἡ ἐγκύκλιος παιδεία. Unde non temere Diogenes Laërtius ([2]) de Antisthene statuit: Δοκεῖ δὲ καὶ τῆς ἀνδρωδεστάτης Στωϊκῆς κατάρξαι. — Οὗτος ἡγήσατο καὶ τῆς Διογένους ἀπαθείας, καὶ τῆς Κράτητος ἐγκρατείας, καὶ τῆς Ζήνωνος καρτερίας. Festive item a Juvenale ([3]) sic exagitantur:

> Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata curat,
> A Cynicis tunicâ distantia.

Physica Zeno sumsit ab Heraclito, dialectica a Megaricis, maxime Stilpone, et a Peripateticis, quorum adeo placita cum Stoicis conferenda esse censuerunt Cicero, Simplicius et Didymus.

Socrates solam ethices partem παραινετικήν, quae est de officiis, tractaverat; Stoici vero τὴν δογματικήν, quae est de principiis, quam a Py-

---

(1) De brev. vit. c. 14. (2) VI, § 14, 15. (3) Sat. XIII, v. 121.

thagora inchoatam Plato et Aristoteles elaboraverant, perfecerunt et amplificarunt.

Exstiterunt omni aevo permulti, qui, ut Thomasius, Gassendius, Baylius, Buddeus et Bruckerus, Stoicam philosophiam improbarent, contendentes eam nihil aliud esse nisi collectionem argutiarum vel colluviem summarum impietatum atque improbitatum, specie quadam pietatis et orthodoxiae tectarum, quae de virtute, de sapiente constituerant tanquam somniorum visa rejicientes. Ideo autem maxime infesti fuerunt Stoicae doctrinae, quod fucatam aliquam similitudinem inter ejus placita et Christianae religionis praecepta reperire sibi visi sunt ([1]).

Ab his autem criminibus, quibus maximam Stoicae doctrinae partem foedarunt, ut quoad fieri possit immunem eam praebeamus, ordine procedamus universamque eorum doctrinam primum accuratius adumbremus.

At vero non alienum putavi hoc loco recensere scriptores, quos potissimum in hac commentatione

---

([1]) Contra hos Stoicae doctrinae praestantiam extollit Voltaire, Operum tom. XXII, c. 15: „Si les Epicuriens rendirent la nature humaine aimable, les Stoïciens la rendirent presque divine. Résignation à l'Etre des êtres, ou plutôt élévation de l'âme jusqu'à cet Etre, mépris du plaisir, mépris même de la douleur, mépris de la vie et de la mort, inflexibilité dans la justice: tel était le caractère des vrais Stoïciens, et tout cequ'on a pû dire contre eux, c'est qu'ils décourageaient le reste des hommes."

consului, ne lectorem nimiae citationes fatigent orationisque nexus turbetur; unusquisque enim ex argumenti natura facile intelliget, me tam antiquiores quam recentiores scriptores consulere debuisse.

Ex antiquis maxime mihi praesto fuerunt Diogenes Laërtius, Stobaeus, tam in eclogis physicis et ethicis, quam in florilegio, Plutarchus, in operibus suis moralibus, maxime de repugnantiis Stoicorum et adversus Stoicos, Sextus Empiricus, in primis in libris adversus logicos et mathematicos, et in hypothesibus Pyrrhonicis, Epictetus, in Enchiridio, Arrianus, in suis dissertationibus ad Epictetum, Simplicius, in commentario suo ad Epictetum, M. Antoninus, Suidas, Cicero in operibus suis ethicis et Seneca.

Inter recentiores numerandi sunt Lipsius, in manuductione ad Stoicam philosophiam et in physiologia Stoicorum, Buddeus, de erroribus Stoicorum, Taurus, de contradictionibus Stoicorum, G. J. Vossius et Jo. Alb. Fabricius, de cavillationibus Stoicorum, Fr. de Quivedo, doctrina Stoica, D. Heinsius, oratio de Stoica philosophia, Roetenbeccius, Stollius et Medius, dissertationes de Stoica philosophia, Gatakerus, dissertatio de disciplina Stoica cum sectis aliis collata, Sev. Wintherus, de Stoa Epicurea cum sectis aliis collata et Tiedemannus, System der Stoïschen Philosophie.

CAPUT I.

SYNOPSIS STOICAE PHILOSOPHIAE.

Tripartitam a Platone et Aristotele jam institutam philosophiae divisionem, in dialecticen, physicen et ethicen, recepit Zeno, a qua divisione specie magis quam re Cleanthes recessit; licet enim sex partes constitueret, dialecticen, rhetoricam, ethicen, politicam, physicen, theologiam; illarum tamen trium singulas binas harum veluti partes continere voluit.

Philosophiam Stoici comparabant cum horto, cujus saepimentum esse censuerunt dialecticen, arbores physicen, fructus ethicen, quam comparationem Peripateticis debuisse videntur; vel cum animali, cujus ossa et nervos dialecticen, sanguinem et carnem physicen, animam philosophiae partem moralem Posidonius esse contendit; vel

cum ovo, cujus externa testa sit dialectice, albumen physice, vitellus seu semen pulli ethice. Diogenes Laërtius in his comparationibus vitium a librariis suscepit; physicen enim vocat animam vel ovi intima, ethicen carnes vel ovi albumen.

Philosophiae finis iis erat sapientia, summa scientia harum rerum, quas qui adeptus esset numquam erraret vel laberetur, nullo unquam casu perturbaretur, summa felicitate frueretur. Jam officium, seu ratio et via, qua quaeque ex tribus his partibus ad illum nos finem adducit, universe ex Cicerone cognoscendum.

Ceterum de ordine trium illarum partium non consentiebant; inter plurimos tamen convenerat, primum dialecticen, deinde physicen, tum ethicen discendam esse. Cicero et Chrysippus partes ponunt non in ordine discendi, sed in ordine naturae, primum physicen, tum ethicen, denique dialecticen; Chrysippum hunc ordinem constituisse non apparet ex loco Plutarchi (1); nam, tametsi omnem doctrinam moralem ex loco de Deo repetendam esse statueret, nihilo secius tamen physicam partem morali postposuit, ita ut dialecticae primum locum tribueret. Ad exemplum Chrysippi Diogenes Babylonius ethicen accuratius de-

(1) De Rep. St. p. 1035 A, B. Cf. Baguet, comm. de Chrysippo, p. 55.

finivit, ab eâque inchoandum esse censuit; secundo demum loco eam posuit Apollodorus.

§ 1. *De Dialectica* (1).

Dialecticen Stoici censebant praestare ἀπροπτωσίαν, id est scientiam tribuendi et cohibendi assensus; ἀνεικαιότητα, absentiam temeritatis et diligentiam; ἀνελεγξίαν, scientiam, qua falsas aliorum reprehensiones confutemus; ἀματαιότητα, gravitatem, a qua omnis vanitas absit, ut visa ad rectam rationem exigamus. Ipsam vero dialecticen definiebant fere judicium veri et falsi; vel alio modo, secundum Senecam, eam philosophiae partem, quae proprietates verborum, structuram et argumentationes exigat, ne pro vero falsa surrepant. Porro in duas partes eam distribuebant: dialecticen et rhetoricam, quarum priorem ita Stoici excoluerunt, ut omnium judicio principes

---

(1) Cff. Ad. Bursius, logica Ciceronis Stoica: Jo. Andr. Schmidii diss. de Chrysippi brutorum logica: Rudolph Traug. Schmidt, Stoicorum grammatica: J. H. Holwerda, resp. ad quaest. a Cl. Phil. Theor. et Lit. Hum. Ord. in Acad. Lugd. Batav. a° 1826 prop.: Quaenam fuit veterum scepticorum sententia de veri judicio? caet., in primis p. 59 sqq., p. 76 sqq.: Petersen, philosophiae Chrysippeae fundamenta, p. 23 sqq.

in hac parte haberentur; posteriorem vero ita negligenter tractarunt, ut eorum libros de rhetorica Cicero vehementer contemneret. Dialectices finem ex Stoicorum mente exponit Cato apud Ciceronem ([1]), qui locus velut commentarii instar accommodatus est ad ea, quae modo diximus de *ἀπροπτωσίᾳ*, *ἀνεικαιότητι*, *ἀνελεγξίᾳ* et *ἀματαιότητι*. Dialectices ipsius duas constituebant partes, eam quae est *περὶ τῶν σημαινομένων*, de rebus significatis; alteram vero, de voce, *περὶ τῆς φωνῆς*. Prioris inter alios locus erat *περὶ τῶν φαντασιῶν*, de visionibus seu de cogitationibus.

Vox *φαντασία* ([2]) apud Stoicos universe cogitationem significat, et probe distinguenda est ab altera ejus significatione, qua nos vulgo utimur, quum de facultate sensuum vicaria et imaginum instauratrice loquimur. Variant quoque apud Stoicos significationes. Dicitur primum universe de facultate cogitandi, tum de actione cogitandi; deinde de notione et idea quacunque, denique de viso seu idea per sensus accepta, tandem de ideis per imaginationem conformatis, qualia

---

([1]) De Fin. III, 21. ([2]) Tiedemannus, Geist. der spec. Phil., Th. II, S. 497, 498, minus accurate *τὴν φαντασίαν* exprimit voce *Vorstellung*. Αἱ *φαντασίαι* et *τὰ φαινόμενα* sic distinguuntur, ut illae sint vanae species, vel imagines, visa, quae nullo modo id sunt, quod esse videantur; haec vero veriora, quaeque, quod videantur, revera sint.

sunt somnia aliaque, quae vulgo φαντάσματα dicuntur. Jam φαντασία definiebatur a Cleanthe et antiquioribus Stoicis τύπωσις, formatio, expressio, ἐν τῇ ψυχῇ, ut Cicero vertit impressio in animo, similitudine ducta a sigillo, cujus imago cerae imprimitur. Chrysippus hanc τύπωσιν rejecit; nam quum anima saepius plurium et multarum adeo rerum cogitationes haberet, ajebat fieri non posse, ut uno eodemque tempore plures simul τύπους seu figuras haberet; quare definivit eam ἑτεροίωσιν ἐν τῇ ψυχῇ, mutationem in mente, quocum etiam consentit definitio Stoica apud Plutarchum (1), eam esse πάθος τῆς ψυχῆς, passionem animi, non perturbationem, quum animus aliquo modo afficiatur ac patiatur.

Jam φαντασίαι sunt vel αἰσθητικαί, per sensus acceptae, vel οὐκ αἰσθητικαί, quae animo et ratione comparantur, veluti rerum incorporearum talium, quas nos vocamus universales et abstractas. Αἰσθητικαὶ fiunt μετὰ εἴξεως καὶ συγκαταθέσεως (2),

(1) De Plac. Phil. IV, 12, p. 910 D. (2) „Visa animi," inquit Gellius, N. A. XIX, 1, „quae φαντασίας philosophi appellant, quibus mens hominis prima statim specie accidentis ad animum rei pellitur, non voluntatis sunt, neque arbitraria; sed vi quadam sua inferunt sese hominibus noscitanda. Probationes autem, quas συγκαταθέσεις vocant, quibus eadem visa noscuntur ac dijudicantur, voluntariae sunt, fiuntque hominum arbitratu." Συγκατατίθεσθαι a consensu, calculis una in urnam vel aliis forte consensus sym-

ita ut animus cedat et assentiatur vel consentiat: earum aliae sunt ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων, a rebus quae vere exsistunt, aliae a rebus quae non exsistunt, sed vanis et fictis, ut somniorum visiones et similes, quae dicuntur ἐμφάσεις.

Porro φαντασίαι sunt vel λογικαί, quae sunt in animantibus ratione praeditis, vel ἄλογοι, quae in brutis: illae dicuntur etiam νοήσεις, intelligentiae, hae non peculiari nomine insigniuntur.

Omnis nostra cognitio proficiscitur ex sensibus corporis, neque ullam ejus partem nascentes nobiscum afferimus, quod Pythagorae et Platoni videbatur. Potius Aristotelis sententiam sequebantur Stoici, animam in lucem prodeuntem esse veluti tabulam rasam, nudam ab omni rerum cogitatione et imagine seu φαντασίᾳ, quod quidem

---

bolis depositis, declarato, ad quemvis exinde consensum, atque speciatim a Stoicis ad consensum ab animo primis suis motibus praebitum, translatum est; cum autem consentiat non tantum is, qui plene et ex deliberato, verum etiam is, qui minus plene et victus consentit, generatim utrumque illud; speciatim vero prius per συγκατάθεσιν a Stoicis significatur. Buddeus, de Err. St., diss. IV, § 3, censet Stoicos in usu vocis opinionis sibi non constare; Antoninum etiam eam modo pro affectu, modo pro caussa sumere; interdum etiam pro συγκαταθέσει, altero affectuum gradu. Ipsam igitur συγκατάθεσιν § 4 opinionem vocat; dicit enim in hominis potestate esse opinionem ejicere et penitus evellere. Συγκατάθεσις tam pro γνώσει, quam pro δοξῇ et ὑπολήψει usurpatur.

physiologicis etiam rationibus confirmabant, quippe qui animam demum nasci dicerent, postquam conceptus vel natus infans esset. Hae *φαντασίαι αἰσθητικαὶ* sunt, veluti materia, ex qua mens reliquas *φαντασίας* ipsa informat atque effingit variis modis; qui modi significantur a Sexto Empirico et a Diogene Laërtio. Quare cognitio ex duplice fonte duci potest; est enim vel ipsa sentiendi actio, *περίπτωσις ἐναργής*, manifesta incursio, vel *μετάβασις ἀπὸ τῶν ἐναργῶν*, progressus a manifestis, cujus varii sunt modi: *ὁμοίωσις*, assimilatio, *σύνθεσις*, compositio, *ἀναλογία*, proportio, *στέρησις*, privatio, *μετάθεσις*, transpositio, *ἐναντίωσις*, oppositio, quám originem et progressionem cognitionis Cicero duobus locis exponit ([1]), quorum alter alterius ope aperiendus et ita legendus est: „Sensibus etiam fidem tribuebat (Zeno); quod comprehensio, facta sensibus et vera esse illi, et fidelis videbatur: non quod omnia, quae essent in re, comprehenderet; sed quia nihil, quod cadere in eam *potest*, relinqueret; quodque natura (*eam*) quasi normam scientiae et principium dedisset, unde postea notiones rerum in animis imprimerentur: e quibus non principia solum, sed latiores quaedam ad rationem inveniendam viae *aperiuntur*." Huic addamus alium Ciceronis ([2]) locum, qui

---

([1]) Acad. II, 10 et I, 11, ([2]) De Fin. III 10.

item animadversione quadam indiget: Cato ibi exponit, quomodo homines ad boni notionem perveniant: quo loco pro vulgata lectione, *quod extremum posui bonum*, cum Lambino recipiatur, *quod extremum posui, boni notitia facta est.*

Porro φαντασίαι sunt vel τεχνικαί, vel ἄτεχνοι, artificiales, vel naturales; atque hac duplici forma continetur genus τῶν φαντασιῶν λογικῶν, quae et νοήσεις dicuntur. Jam artificiales omnes dicuntur ἔννοιαι, naturales προλήψεις, quae ita sunt in promptu, ut humana ratio in eas sponte incidat, velut notio boni, justi, Dei; unde apparet has duas formas gradu magis quam genere differre. Nam omnes propriae notiones sunt τεχνικαί, quia eas non natura ipsa habemus, neque nobiscum attulimus, sed aliae aliis facilius acquiri possunt. Πρόληψις igitur ad ἔννοιαν, tanquam ad genus, refertur, atque ita definitur a Diogene Laërtio (1): Ἔστι δ' ἡ πρόληψις, ἔννοια φυσικὴ τῶν καθόλου, naturalis intelligentia eorum quae universaliter sunt; et alio nomine πρόληψις vocatur κοινὴ ἔννοια, communis intelligentia; nam statuebant, in his quidem notionibus omnes homines consentire.

Sequitur ut ratio constituatur, qua φαντασίας veras a falsis distinguamus, has repudiemus, illis

(1) VII, § 54.

assentiamur. Quod ut perficiatur, necesse est intelligere, quomodo ex viso seu φαντασίᾳ judicium mentis oriatur, et quâ notâ verum a falso distinguatur. Hunc igitur locum ita constituebant: Visum seu φαντασίαν ipsam non esse in nostra potestate, neque fieri posse, ut illud, quod semel in mentem sensusve inciderit, non sentiatur, aut cogitetur: at vero assensum, συγκατάθεσιν, in nostra potestate esse, neque nos cogi ut quam primum ad nos allatum sit, etiam verum falsumve judicetur. Visum habere hanc vim, ut si perspicuum sit, animus ei cedere debeat, quemadmodum lanx in libra deprimitur impositis ponderibus (1). Habet igitur, tam visum, quam assensio non reciprocam vim, sed subordinatam, ita ut assensio sine viso esse non possit, non vero ut ex viso assensio continuo exsistere debeat (2). Hac ergo in parte inter sapientem et stultum illud interest, quod stultus nec visum accurate considerat, sed temere assentitur, et imaginationis errore plura ad visum adjungit, quam revera in eo sunt: sapiens contra οὐ συγκατατίθεται οὐδὲ προσεπιδοξάζει, non assentitur neque opinione quidquam ad visum adjungit.

Igitur assensus non omnibus visis tribuendus est et iis etiam, quibus tribuendus est, non aequali

---

(1) Cic. Acad. II, 12; quod idem disertius significatur Acad. I, 11. (2) Quod exponitur apud Ciceronem de Fato c. 18.

modo tribui debet; sunt etiam aliae πιθαναί, aliae ἀπίθανοι, vel probabiles, vel non probabiles; aliae denique ἄπορει, de quibus omnino nihil statui potest. Zeno varios gradus firmitatis, quibus differunt visa, hac comparatione distinguebat: „Et hoc quidem Zeno", ut ait Cicero (1), „gestu conficiebat; nam, cum extensis digitis adversam manum ostenderat, visum, inquiebat, ejusmodi est; deinde, cum paullum digitos constrinxerat, assensus hujusmodi; tum cum plane compresserat, pugnumque fecerat, comprehensionem illam esse dicebat: qua ex similitudine etiam nomen ei rei, quod ante non fuerat, κατάληψιν (2) imposuit: cum autem laevam manum admoverat, et illum pugnum arcte vehementerque compresserat, scientiam talem esse dicebat: cujus compotem, nisi sapientem, esse neminem."

Hinc φαντασίαι sunt vel καταληπτικαί, vel οὐ καταληκτικαί, vel comprehensibiles vel non comprehensibiles. In quarum vocum definitione apud Diogenem Laërtium (3), pro corrupto illo τὴν μήτραν legendum μὴ τρανόν (4), ut sensus sit: Incomprehensibilem autem eam, quae non ab exsistente fiat, aut ab exsistente quidem, sed non se-

(1) Acad. II, 47. (2) Τὴν κατάληψιν Cicero cognitionem, perceptionem vel comprehensionem vocare solebat. (3) VII, § 46. (4) Ut jam monuit car. Pater in Obs. suis lit., p. 7 sq., Lugd. Bat. 1811.

cundum ipsum exsistens: id est, non vero prouti exsistat: eam (ἀκατάληπτον φαντασίαν), quae non habeat perspicuam impressionem. Itaque καταληπτικαί φαντασίαι sunt verae notiones, quae respondent rei tanquam signum quod ex sigillo impressum est; ἀκατάληπτοι sunt falsae, quae vel ex nulla re exsistente ortae sunt, vel ortae quidem a re exsistente, sed non perspicue planeque expressae. Sextus vero Empiricus utrumque genus ad φαντασίας veras refert; sed ἀκατάληπτον ita definit, ut dicat eas esse, quae κατὰ πάθος προσπίπτουσι τισί, quae ex animi perturbatione exsistunt; multi enim, inquit, delirantes vel furentes in veras etiam cogitationes incidunt; sed temere, ita ut non simul intelligant, quae verae sint.

Verum definiebant τὸ ὑπάρχον καὶ ἀντικείμενόν τινι, illud quod exsistit, et alicui oppositum est: falsum seu ψευδὲς contraria ratione, τὸ μὴ ὑπάρχον καὶ μὴ ἀντικείμενόν τινι, id quod non exsistit, neque alicui oppositum est. Quae definitio hanc habet sententiam: verum esse quod revera exsistat, cujus oppositum falsum sit; falsum esse illud quod non exsistat, cujusque oppositum verum sit. Verum quoque distinguebant a veritate, tribus partibus: primum οὐσίᾳ, essentia; nam veritatem esse corpus, verum incorporeum: deinde συςάσει, constitutione; nam veritas est scientia, quae tanquam summa complectitur multa vera: denique

δυνάμει (¹), potestate; veritas enim, quae est scientia, eam habet vim, ut, qui eam possidet, quod non cadit nisi in sapientem, numquam fallatur vel fallat, contra stulti et infantes, quum quaedam vera tenent, non tamen eam, quae in sapiente est, virtutem habeant. Quare verita-

---

(¹) Haec vox variis significationibus usurpatur: sensu philosopho: apud Plut. Plat. quaest. p. 1007 B, δύναμις idem fere significat quod *substantia:* de Rep. St. p. 1054 A, de Orac. Def. p. 426 B, δύναμις est *facultas quaedam insita* et conjungitur cum ἕξει et αἰτίᾳ: secundum Stoicorum doctrinam, apud Plut. de Virt. Mor. p. 443 D, de Pl. Ph. IV, 8; p. 909 D, Nemes. de N. H. c. VI, p. 137, δύναμις est ἀρχὴ καὶ ὕλη τῆς αἰσθήσεως seu τοῦ πάθους: apud Simpl. ad Epict. Ἐγχ. p. 58 A, B, δύναμις dicitur ἡ πλειόνων ἐποιςικὴ συμπτωμάτων καὶ καταχρατοῦσα τῶν ὑποτασσομένων ἐνεργειῶν, *plura accidentia proferre et actiones sibi subjectas regere:* apud M. Ant. IX, § 1 αἱ δυνάμεις dicuntur γόνιμοι ὑποςάσεών τε καὶ μεταβολῶν καὶ διαδοχῶν, *propositionum, transmutationum et successionum fecundae:* apud Plut. εἰ apud Delphos p. 386 C idem est quod *significatio:* in Symp. p. 701 F est *propria vis rei:* de Pyth. Orac. p. 405 B φύσις: adv. St. p. 1073 F *facultas corporis*, occurrit cum σχέσει et διαφορᾷ: in Amat. p. 747 E *facultas*, apposita est vocibus πάθει et πράξει: in Pomp. p. 662 B, 663 A *potentia*, conjungitur cum δόξᾳ: de adul. et amic. discr. p. 54 D *vis*, apponitur voci προαιρέσει: in Lac. Apopht. p. 182 B opponitur τῇ εὐνοίᾳ: in Symp. p. 937 B ei subjecta est ἐνεργεία: de prim. frig. p. 946 B opponitur τῇ δυνάμει: de occult. viv. p. 1129 D, in Lac. Apopht. p. 226 D, in Sol. p. 86 D, apud Plat. de Legg. p. 671 B, C, usurpatur ut *pretium.*

tem corpus esse dixerint, intelligendum ex eorum physica; quod discrimen in eo fere positum est, ut veritas sit ipsa cogitatio veri; verum autem convenientia cogitationis cum re, et λεκτὸν seu enunciatio, quia omne verum logicum enunciatione continetur. Individua igitur tantum exsistunt et vera dicuntur; genera, formae, et omnino notiones abstractae et universales non exsistunt, neque ad res veras referuntur, sed ad eas, quae partim verae, partim falsae sunt. Jam si quaerebatur, an esset quoddam κριτήριον, quo verum a falso distingueretur, hoc et esse affirmabant, et positum esse dicebant in ἐναργείᾳ, evidentia seu perspicuitate. Ipsam vero ἐναργείαν in sola φαντασίᾳ καταληπτῇ seu viso comprehensibili esse statuebant: Zenonem ait Cicero ([1]) καταληπτὸν ita definivisse, ut sit „visum (φαντασία) impressum, effictumque ex eo, unde esset, quale esse non posset, ex eo, unde non esset;" et alio loco ([2]): „Visum, quod percipi posset, — ex eo, quod esset, sicut esset impressum, et signatum, et effictum." Huc quoque referendus alius Ciceronis ([3]) locus de eodem Zenone. Esse vero talem evidentiam, tale κριτήριον, quo verum a falso distingueretur et visa comprehenderentur, hoc acerrime tuebantur et propugnabant contra Academicos et Scepticos, cujus in utramque partem dis-

([1]) Acad. II, 6. ([2]) Ib. c. 24. ([3]) Acad. I, 12.

rum etiam illa, quae in actione versatur, atque adeo virtutes omnes. Hoc est quod Cicero sub ejusdem Luculli persona capite sequenti exponit. At vero Academici non desistebant acrius etiam urgere, ab experientia in primis argumenta petentes. Contendebant igitur, non posse in humanam mentem incidere tale visum, quale non posset ab alia re; neque adeo esse eam, quam Stoici vellent, evidentiam. Veluti quae nobis in somno visa objiciuntur, vera esse putamus, iisque eodem modo commovemur ac si vigilantibus nobis objicerentur; idem fit in delirantibus et furentibus. Deinde vigilantibus etiam nobis res nonnumquam se offerunt adeo similes et aequales, ut eas nullo pacto distinguere a se invicem possimus, veluti gemini fratres, duo ova, ex quorum utroque eadem species menti imprimitur. Porro quod ipsi hominum sensus et judicia inter se non consentiant, aliis aliud videatur; id non solum dicendum de rebus corporeis et sensu perceptis, sed etiam de rebus universalibus et a corporis sensu remotis, ut in disciplinis. Cujusque etiam hominis sensum et rationem diversa aetate, valetudine, conditione, varium esse; ut adeo, quando quisque vere sentiat percipiatque, ipse nemo quisquam judicare possit. Denique sophismatum formas proponebant multas, quae omnino dijudicari non possent utrum verae essent, an falsae; veluti ψευδόμενον, ἀντιστρέφοντα, Electram, Achillem, Ignavam Rationem, κυριεύοντα, αὐξόμενον λόγον,

quae in logicis tractantur ([1]). Ad haec singula Stoici respondebant, et primum quidem, ut est apud Ciceronem ([2]), de somniorum visis: Simul ut experrecti sumus, visa illa contemnimus, neque ita habemus, ut ea, quae in foro gessimus. At enim dum videntur, eadem est in somnis species horum et eorum quae vigilantes videmus; non tamen eadem vis neque integritas, vel mentis, vel sensuum.

Quod vero ad alterum reprehensionis caput pertinet, negabant Stoici duas res perfecte similes et aequales esse posse, neque audiebant ab Academicis laudatum Democritum, qui statuerat, innumerabiles mundos esse, ita similes, ut nil inter eos interesset. Argumenta, quibus Stoici ad hoc obtinendum usi sunt, temporum iniquitate cum libris, in quibus prodita erant, interciderunt; ut non satis statui possit an praecipuum quid in iis fuerit, praeter ea quibus recentiores utuntur, qui hoc decretum Principii Indiscernibilium nomine celebrarunt. Apud unum Ciceronem ([3]) prodita exstat exigua notitia, cujus summa haec est: „Primum quidem me ad Democritum vocas, cui non assentior, potiusque refello, propter id quod dilucide docetur a politioribus physicis, singularum rerum singulas proprietates esse." — „Ut mater geminos internoscit

([1]) Cff. Wytt. Praec. Phil. Log. III, 9, 3 et 4 et V. Cl. Schröderus, Elem. Math. Purae, P. I, Prol. p. 362 sqq.
([2]) Acad. II, 16, 17. ([3]) Acad. II, 18.

consuetudine oculorum; sic tu internosces, si assueveris. Videsne, ut in proverbio sit ovorum inter se similitudo? Tamen hoc accepimus, Deli fuisse complures (salvis rebus illis) qui gallinas alere permultas quaestus caussa solerent: hi cum ovum inspexerant, quae id gallina peperisset, dicere solebant."

Ad tertiam porro Academicorum reprehensionem ita respondebant: quamvis magna sit in hominum sensibus varietas, tamen inter eorum hominum sensus, qui et sani et bene constituti et integri essent, iisque diligenter et accurate uterentur, summum esse consensum. Denique ne falsis conclusionibus et sophismatibus assentiamur, tanquam instrumentum adhibendam esse dialecticen, qua verum a falso distinguamus, et a temerario assensu nobis caveamus.

Stoicorum opinionem, vocabula suapte natura valere, id est talem vim habere, quae non ab arbitrio et consuetudine hominum, sed ab ipsa natura profecta esset, antea Heraclitici prodiderant, et Plato tenuerat, exposueratque in Cratylo.

Statuebant quodlibet verbum natura sua *ἀμφίβολον*, ambiguum, esse: in his Chrysippus, qui *περὶ ἀμφιβολιῶν* duos libros conscripsit, qui adversarium hac in parte habuit Diodorum Cronum.

De definitione Chrysippus peculiarem conscripserat librum, et videntur omnino Stoici in definiendi subtilitate magnam in primis operam

posuisse. Ceterum sequebantur fere vim verborum, et definitiones faciebant etymologicas, velut Chrysippus λύπην, tristitiam, definiebat λύσιν animi; καλὸν a καλεῖν, quod ad se vocat; ἔλεον, misericordiam, mobilitatem definiebat et mollitiem animi, quia diceretur ab ἕλω, volvo, moveo, unde etiam ἔλαιον, oleum, dictum esse. Ita Stoicorum rationem secutus est Cicero (1) in definitione fidei, et eandem etymologicae definitionis consuetudinem tenuerunt Icti Romani, quorum plerique ex Stoica prodierunt disciplina.

De ratione consecutionis et de modis, quibus verum conclusum inde effici volebant, pugnabant cum Diodoro Crono, quam controversiam latius persequitur Sextus Empiricus (2). Vitia syllogismorum ad quatuor capita revocantur. Primum, quum figura est falsa: secundum, quum supervacaneum est unum ex sumtis: tertium, quum deëst unum ex sumtis: quartum, quum nulla est in sumtis connexio. Syllogismorum et omnino demonstrationis, qua utebantur, ratio plenius cognoscenda est ex ipsis eorum disputationibus, velut Epicteti, Senecae, M. Antonini, Ciceronis, qui in quibusdam libris vel ipse Stoicorum more disserit, vel in aliis Stoicos

---

(1) De Off. I, 7. (2) Pyrrh. Hyp. II, § 110 et adv. Log. VIII, § 113 ed. Fabr.

dissentientes inducit, veluti Lucullum (1), Catonem (2), Balbum (3).

§ 2. *De Physicis.*

Omnes res, τὰ ὄντα, distribuuntur in substantias et accidentia: haec vocabant incorporea, illas corporeas, ad quas referebant multa quae revera erant accidentia, veluti virtutes, vitia et rerum attributa.

Corpus triplicem habet extensionem et quatuor praeterea attributa: motum, actionem, passionem, divisibilitatem. Agere vel pati, seu facere et effici, nihil omnino potest nisi quod est corpus: qua in re a Platone et Aristotele dissentiebant, qui animam in rebus incorporeis posuerunt.

Duo rerum principia statuebant, agens et patiens, quorum hoc est materia, illud Deus, ὁ ἐν τῇ ὕλῃ λόγος, ratio, quae in materia est. Sed quum statuerent, ex nihilo nihil fieri posse, hoc non tantum de caussa efficiente, sed etiam de caussa materiae valere censebant; unde consequebatur, ut materiam ipsam ingenitam et aeternam esse statuerent. Hoc erat ipsorum commune cum omnibus veteribus decretum; quocirca mundum e nihilo creatum esse negabant. Deperditum locum

(1) Acad. l. II. (2) De Fin. l. III. (3) De N. D. l. II.

Ciceronis e libro II de Natura Deorum, luculenter hac de re scriptum, servavit Lactantius (1): „Primum igitur," inquit, „non est probabile, eam materiam rerum, unde orta sunt omnia, esse divina Providentia effectam; sed habere, et habuisse vim et naturam suam. Ut igitur faber, quum quid aedificaturus est, non ipse facit materiam, sed ea utitur, quae parata sit, fictorque item cera: sic illi Providentiae divinae materiam praesto esse oportuit, non quam ipsa faceret, sed quam haberet paratam." Alteram vero principii partem, quae pertinet ad caussam efficientem seu moventem, acute Chrysippus confecerat ex principio repugnantiae. Demonstratio ejus exstat apud Ciceronem de Fato (2): „Si est motus sine caussa, non omnis enuntiatio, quod ἀξίωμα dialectici appellant, aut vera, aut falsa erit; caussas enim efficientes quod non habebit, id nec verum, nec falsum erit; omnis autem enuntiatio, aut vera aut falsa est; motus ergo sine caussa nullus est. Quod si ita est, omnia, quae fiunt, caussis fiunt antegressis; id si ita est, omnia fato fiunt; efficitur igitur fato fieri, quaecunque fiant." Principium patiens uno nomine vocatur ὕλη, materia. Haec ipsa per se nullam habet qualitatem aut figuram, est ἄποιος et ἄμορφος; sed capax tamen est qualitatis et figu-

---

(1) Div. Inst. II, 9. (2) c. 10.

rae, quas a principio agente accipit. Mutationum quae in materiam cadunt, quatuor sunt genera: παράθεσις, appositio: μίξις, commixtio: σύγχυσις, confusio: κρᾶσις, temperatio, quae postrema tum obtinet, quum ita se invicem penetrent particulae, ut una alterius assumat naturam; statuebant igitur et penetrabiles esse particulas materiae, et κρᾶσιν dicebant fieri δι' ὅλου, per totum, id est ut totum unum totum alterum fieret. Porro principium agens semper est conjunctum cum materia, licet haec ipsa per se sit expers actionis, et nil nisi capax passionis. Materiae quantitas nec augetur unquam, nec minuitur; sed semper eadem manet; unde ipsa materia non est infinita, sed finita; atque adeo huc redit Stoicorum opinio de finibus materiae, ut eam divisibilitate infinitam, quantitate vero finitam esse statuerent.

Deus principium est agens, et Heraclitum in eo sequebantur, ut statuerent, Deum esse ignem, non crassum quidem illum et vulgarem; sed subtiliorem et ratione atque arte praeditum, unde a Zenone πῦρ τεχνικὸν dictus est ([1]). Apud Diogenem Laërtium ([2]) principes Stoicorum excitantur, qui in hoc consenserunt, principium

---

([1]) Cff. G. G. Brill, comm. de plac. Stoic. phys. c. II, § II, p. 10 sqq.: Thomasius, de Stoic. mundi exust., diss. III et IV: Mich. Sonntag, de palingenesia Stoica, Jenae, 1700. ([2]) VII, § 134.

agens esse λόγον seu rationem, quae in materia habitet, atque ipsum Deum; hunc autem, quum sit aeternus, ope materiae omnia efficere atque ex ipsa formare quatuor elementa, quae per conflagrationem mundi aliquando interitura sint, non ut in nihilum, sed ut in materiam illam primam, ἄποιον καὶ ἄμορφον, recidant. Itaque Plutarchi (1) verba non ita sunt accipienda, ut Deus ipse sit materia, et se ipse in omnia mutet; sed ut Deus materiam mutet. Hoc diserte cum alii pronunciarunt, tum Seneca (2).

Ceterum Stoici Deum variis appellant nominibus, quae ad principium agens referuntur, veluti naturam, providentiam, naturae legem, fatum, mundum. Quam in rem satis est unum attulisse locum Lactantii (3): „Chrysippus naturalem vim, divina ratione praeditam, interdum divinam necessitatem Deum nuncupat. Item Zeno divinam naturalemque legem. Horum omnium sententia, quamvis sit incerta, eodem tamen spectat, ut providentiam unam esse consentiant. Sive enim natura, sive aether, sive ratio, sive mens, sive fatalis necessitas, sive divina lex, sive aliud quid dixeris; idem est, quod a nobis dicitur Deus. Nec obstat appellationum diversitas, quum ipsa significatione ad unum omnia revolvantur." Hinc refutandus est error eorum, qui Stoicis hanc sen-

(1) De Pl. Ph. I, 6, p. 879 C. (2) Ep. 65. (3) Div. Inst. I, 5.

tentiam tribuerunt, Deum esse vim quandam materiae, siquidem materia unam habet vim patiendi. Igitur probe tenendum est Deum, quamquam per totam materiam diffusus sit, tamen non habitum esse vel partem vel qualitatem et vim inhaerentem materiae; sed ab ea diversum ipsa substantia, quippe qui esset ignis sentiens subtilissima natura. Deus igitur pro varietate facultatum, quibus valet, varia nomina accepit, quae omnia eo redeunt, ut ejus vis effectrix et gubernatrix significetur (1). Ipsam ejus substantiam alii mundum, alii coelum, alii stellas fixas, solem (2), aetherem dicunt: quae diversae opiniones in eo consentiunt, Deum per omnia pertinere et esse substantiam igneam aethereamve, quae rerum universitatem conservet et complectatur (3).

Natura vero definitur: Ἕξις ἐξ αὑτῆς κινουμένη

(1) Huc spectant voces apud Cic. de N. D. II, 9, 28, III, 23, *pertinere:* Acad. II, 37, *transire*, *permeare*. Ejusdem significationis apud Stoicos erant voces διήκειν, apud D. L. VII, § 138, 147, M. Ant. V, § 32, Stob. Ecl. Ph. I, p. 66, Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. III, § 218, Plut. de Pl. Ph. I, 7, p. 882 A: χωρεῖν, apud D. L. VII, § 139, Plut. de Pl. Ph. l.l., Stob. Ecl. Ph. I, p. 66: ἐξέρχεσθαι, ἐκπέμπεσθαι, apud D. L. VII, § 55: φοιτᾷν, in Cleanthis hymno in Jovem, v. 13. (2) Cleanthes Solem dominari et rerum potiri putat apud Ciceronem, Acad. II, 41. (3) De substantia Dei et ratione qua omnia regit exstat apud Stob. Ecl. Phys. I, p. 31 sqq. ed. Heer., praeclarus atque sublimis hymnus Cleanthis in Jovem.

κατὰ σπερματικοὺς λόγους, ἀποτελοῦσά τε καὶ συνέχουσα τὰ ἐξ αὐτῆς ἐν ὡρισμένοις χρόνοις, καὶ τοιαῦτα δρῶσα ἀφ' οἵων ἀπεκρίθη ([1]). Alibi ([2]) haec proditur definitio: πῦρ τεχνικόν, ὁδῷ βαδίζον εἰς γένεσιν, atque illud πῦρ τεχνικὸν ita declaratur a Diogene Laërtio: ὅπερ ἐςι πνεῦμα πυροειδὲς καὶ τεχνοειδές; sed non satis constat, aut certe aliquid obscuritatis habet, quinam sint illi λόγοι σπερματικοί. Apud M. Antoninum ([3]), homo moriens dicitur suscipi a λόγῳ suo σπερματικῷ, quod Gatakerus accipit pro Deo ipso. Mericus Casaubonus ad eum locum multum quidem movet, sed parum promovet; praeterea in eo fallitur, quod λόγους istos similes esse ait Platonicis ideis; nam hae, prorsus a corporea natura remotae, exempla sunt rerum spectabilium: Stoicorum vero λόγοι σπερματικοὶ ([4]) in corporea natura positi sunt, suntque leges ipsi materiae inditae, secundum quas natura in rerum procreatione et destructione agit: cum qua explicatione conveniunt Seneca ([5]), laudatus a Casaubono, et Cice-

([1]) D. L. VII, § 148. ([2]) § 156. ([3]) IV, § 14. ([4]) Salm. ad Epict. et Simpl., p. 89, σπερματικὸν λόγον esse perhibet δύναμιν σπερματικήν. Ὁ ἀρχῆς λόγος videtur idem esse quod ὁ σπερματικὸς λόγος. Tiedemannus, Syst. der Stoïsch. Phil. II, S. 48: σπερματικοὶ λόγοι würde ich durch *Naturgesetze* übersetzen; in altero vero suo opere, Geist der spec. Phil. II, S. 449, λόγους σπερματικοὺς vocat *Bildungsgesetzen*. ([5]) De Qu. N. III, 29.

ro ([1]). Deus igitur quatenus est principium agens materiae indidit σπερματικοὺς λόγους, leges quasdam gignendi et destruendi, secundum quas omnia procreantur et dissolvuntur, quasque ipse Deus sequitur, quum in corpora aliquo modo agit. Materiam ipsam a Deo creatam esse id modo repugnare vidimus veterum auctoritati. Fuerunt tamen ex junioribus Platonicis, qui antiquis opinionem contrariam tribuerent ([2]).

Actione principis rerum caussae ortus est mundus, ὁ κόσμος, quod nomen duas in primis apud Stoicos habet significationes: unam, qua appellatur σύστημα θεῶν καὶ ἀνθρώπων, καὶ τῶν ἕνεκα τούτων γεγονότων; statuebant enim Stoici omnia quaecunque essent, deorum hominumque caussa facta esse. Altera significatio est, qua Deus ipse κόσμος vocatur, quippe qui mundum animat et regit. Mundum etiam vocabant τὸ ὅλον, totum, idque distinguebant ab universo, quod τὸ πᾶν dicebant: τὸ ὅλον erat ipse mundus; τὸ πᾶν, mundus cum vacuo, quod eum extrinsecus circumdat. Sed hoc loco, quum de mundo dicamus, primam significationem sequimur, qua est σύστημα hominum et deorum caussa factum.

Et primum quidem mundus, ut habet initium, ita finem habebit et interitum, quod quidem tribus confirmant rationibus. Harum prima est:

([1]) De N. D. II, 32. ([2]) Fabr. B. G. I, p. 473.

omnia quae initium habeant, habere quoque finem: secunda: partes mundi esse corruptibiles; itaque mundum ipsum debere esse corruptibilem: tertia: humore paulatim consumto mundum conflagratum iri. Ceterum interitus mundi non fit in nihilum, sed ita ut elementa iterum recidant in ὕλην, materiam, ex qua formata erant.

Porro mundus est finitus, quia ipsa materia finita est, et habet figuram rotundam, quae aptissima est ad motum, ut monet Diogenes Laërtius ([1]), qui hujus sententiae auctores excitat Posidonium et Antipatrum. Sunt quoque omnes res in continua mutatione, ut quidlibet quovis temporis puncto aliud sit atque antea fuit; quod ab Epicharmo acceptum placitum auxit Chrysippus, atque inde syllogismum protulit αὐξόμενον λόγον. Atque non solum a se ipsa quovis momento quaeque res discedit; sed aliis etiam omnibus dissimilis est, quod placitum Leibnitsius postea Principii Indiscernibilium nomine celebravit. Stoicis hoc diserte tribuunt Cicero et Seneca ([2]). Cicero in quaestionibus Academicis ([3]) contra Democritum et Academicos hoc ex Stoicorum sententia tuentem Lucullum inducit; cui ipse venuste respondet ([4]): „Dic mihi, Lysippus eodem aere, eadem temperatione,

---

([1]) VII, § 140. Cleanthes censuit mundum habere coni formam, ceteri Stoici formam sphaeri. ([2]) Ep. 93. ([3]) II, 18. ([4]) c. 26.

eodem coelo, aqua, caeteris omnibus, centum Alexandros ejusdemmodi facere non possit? qua igitur notione discerneres? Quid? si in ejusdemmodi cera centum sigilla hoc annulo impressero, ecquae poterit in agnoscendo esse distinctio? an tibi erit quaerendus annularius aliqui, quoniam gallinarium invenisti Deliacum, illum, qui ova cognosceret?" Sunt quoque omnes mundi partes inter se aptae et connexae, tanquam unius animalis membra; unde mundus est et animal, neque ulla mundi pars interrupta atque divisa ab alia per spatium vacuum, hoc enim non est in mundo, sed extra eum."

Mundus est perfectus, quia nulla ejus pars vacua est, et quia omnes ejus partes inter se cohaerent; quamquam partes ipsae per se non sunt perfectae, sed efficiunt, simul sumtae, unum aliquod perfectum (1).

Elementa, quamvis non ita sint discreta a se invicem, ut nulla pars alterius cum alterius parte coëat, habent tamen peculiares sibique proprios locos. Medium tenet terra: hanc ambit aqua: aquam complectitur aër: aërem item continet ambitque aether, ut apparet ex Diogene Laertio (2) et e Cicerone (3); quorum uterque omisit ignem

---

(1) Cff. Gottlieb Ernst Schulz, de cohaer. mundi part., earumque cum Deo conj. summa sec. Stoic. disc., Vitemb. 1785: Heinr. Reinhard, de mundi optimo sec. Stoic. sent., Torgau, 1838. (2) VII, § 155. (3) De N. D. II, 36.

elementum; Cicero quidem aquam, Laërtius aetherem. Aether, et ignis, et coelum unum idemque sunt, ex eoque stellae tanquam flammae exsistunt. In hac elementorum collocatione plerosque veterum consentientes habuerunt, eamque secutus est Ovidius (1).

Jam hinc intelligitur quas partes Deus in condendo mundo habuerit. Neque enim temeritate casus, neque necessitate naturae mundum procreavit; sed sapientia, consilio, arte. Zeno, Chrysippus et Archedemus, quos laudat Laërtius (2), statuebant Deum, antequam conderet mundum, quum solus adhuc esset, totam materiam per aërem commutasse in aquam; esse enim aërem *σπερματικὸν λόγον*, seu semen et principium rerum corporearum, et aërem madefactum idoneum reddidisse ad procreanda quatuor elementa.

Homo quomodo ex eorum sententia procreatus sit, non satis constat, utrum, sicuti reliqua animalia, e terra prodierit, an peculiari opificio et quasi partu a Deo editus sit. Illud Stoicis tribuit Lactantius (3); sed hic quidem, caussae serviens suae, parum vere Stoicorum sententiam prodidit; namque ex seminibus terrae inclusis prodiisse homines ex Stoicorum sententia dubitari nequit. Sed haec et reliquarum rerum semina condita sunt ab ipso creatore Deo, suntque *σπερματικοὶ*

(1) Metam. I, 26 seqq. (2) VII, § 136. (3) Div. Inst. VII, 4.

λόγοι, de quibus supra diximus, ut retulit Justus Lipsius ([1]), qui tamen in eo fallitur, quod locum Ciceronis de Natura Deorum ([2]) ad Stoicam doctrinam refert, qui sine dubio ad Epicureorum reprehensionem pertinet: „Semina deorum decidisse de caelo in terras putamus, et sic homines patrum similes exstitisse." Sed alio loco diserte ex Stoica ratione loquitur Cicero ([3]): „Animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem, praeclara quadam conditione generatum esse a supremo Deo; solum est enim ex tot animantium generibus atque naturis particeps rationis et cogitationis, quum cetera sint omnia expertia." Propterea animalia et reliqua omnia hominum caussa creata esse, Chrysippus tenebat ([4]). Latius de humanae naturae praestantia exponit Cicero de Natura Deorum ([5]).

Agnationem hominum cum diis, similitudine ducta ex agnatione familiarum in civitatibus, explicat Cicero ([6]) ex Stoica ratione, hoc modo: „Perpetuis cursibus conversionibusque coelestibus

---

([1]) Phys. Stoic. III, diss. 4. ([2]) I, 32. ([3]) de Legg. I, 7. ([4]) Cic. de Fin. III, 20. Musonius, apud Stob. serm. CXVIII, hominem vocat imaginem Dei, Stobaeus in Flor., p. 870 ed. Gesn., μίμημα θεοῦ, Trismegistus, θεὸν θνητόν. ([5]) II, c. 60, 61. His addendum placitum simile Stoicorum c. 62. Porro non est negligenda descriptio praestantiae humanae ab ipsius origine repetitae, apud Ciceronem, de Legg. I, 7. ([6]) de Legg. I, 8.

exstitisse quandam maturitatem serendi generis humani; quod, sparsum in terras atque satum, divino auctum sit animorum munere: cumque alia, quibus cohaererent, homines e mortali genere sumserint, quae fragilia essent et caduca; animum esse ingeneratum a Deo. Ex quo vere vel agnatio nobis cum coelestibus, vel genus, vel stirps appellari potest." Stoicorum illud placitum spectare videtur Ovidius [1]:

> Sanctius his animal, mentisque capacius altae
> Deerat adhuc, et quod dominari in cetera posset,
> Natus homo est, sive hunc divino semine fecit
> Ille opifex rerum, mundi melioris origo:
> Sive recens tellus, seductaque nuper ab alto
> Aethere cognati retinebat semina coeli.
> Quam satus Iapeto, mixtam fluvialibus undis,
> Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum.
> Pronaque cum spectent animalia cetera terram;
> Os homini sublime dedit; coelumque tueri
> Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Sed ipsum principium agens per totum mundum diffusum est, eumque animat et continet; unde efficitur mundum esse animal ratione ac voluntate praeditum. Unus ab ea sententia Boëthus abhorrebat: reliqui, ut videtur, fere omnes eam tuebantur. Rationes erant, quibus uterentur, complures, quas, praeter alios, accurate refert Cicero [2] e Zenone: prima est: „Quod ratione utitur, id melius est, quam id, quod

---

(1) Met. I, 76 sqq. (2) De N. D. II, 8.

ratione non utitur. Nihil autem mundo melius. Ratione igitur mundus utitur." Ex hoc fonte aliam rationem ducit Balbus, qua efficiatur mundum esse ipsum Deum: secunda ratio inde repetitur, quod mundi partes, veluti dii, homines, bruta, sunt sentientes; igitur totum etiam esse debere sentiens: tertia in eo est posita, quod mundus profert naturas ratione praeditas; unde effici ipsum esse ratione praeditum. Haec tria argumenta similitudine et exemplo illustriora reddit et confirmat (1): „Si ex oliva modulate canentes tibiae nascerentur, num dubitares, quin inesset in oliva tibicinii quaedam scientia? Quid, si platani fidiculas ferrent numerose sonantes? idem scilicet censeres, in platanis inesse musicam. Cur igitur mundus non animans, sapiensque judicetur, quum ex se procreet animantes atque sapientes?" Atque his argumentis alia adjungit Balbus: primum a Cleanthe prolatum, de vi caloris, qua totus contineatur mundus, et omnia quae vivunt, qui calor esse non possit destitutus vi sentiente: alterum hoc: quum in omnibus singulisque naturis quaedam sit pars principalis, veluti in plantis radix aliudve, in animantibus cerebrum; ita in universo mundo esse aliquam partem principalem, aliquod ἡγεμονικὸν et κυριέυον, princeps et dominans, quod vocatur rerum natura, seu Deus (2): tertium hujusmodi est:

---

(1) l.l. (2) Cic. de N. D. II, 11, et, qui, a Davisio laudatur, Sextus Empiricus.

quum in hoc mundo naturae omnes gradu praestantiae a se invicem differant, et ab infimis paulatim ad praestantiora progrediatur natura; necesse est, summum esse aliquem gradum, quem natura ipsa, tanquam res perfectissima, obtineat. Atque haec vis sentiens omnes pervadit mnndi partes; unde sidera ipsa sunt naturae cogitantes, atque adeo dii, quia constans eorum et admirabilis motus sine ratione ac sapientia fieri non potest. Jam sententia de anima mundi non solis est propria Stoicis, quippe quam antea jam Plato et alii tenuerant; sed dissimili utrique ratione; nam Platonis anima mundi est natura creata ab ipso summo Deo et materiae universi indita; Stoicorum anima est ipsum principium agens, ignis artificialis, ipse Deus summus. Porro Stoicorum anima mundi non omnes res aequali ratione permeat ac penetrat: alias tanquam δύναμις et ἕξις, tanquam habilitas et habitus, veluti ligna, lapides et similia, quae non cogitant: alias tanquam ψυχή, ut bruta et plantas: alias tanquam νοῦς seu λόγος, id est, tanquam mens et ratio, ut homines. Sed quamvis haec anima per totum pateat mundum, tamen non per omnes partes aequabiliter est diffusa. Itaque, ut hominis ἡγεμονικὸν in cerebro est, ita mundi principem partem peculiari loco positam volebant; quo tamen in loco non omnes consentiebant; quorum diversas opiniones refert Diogenes Laërtius (1). Antipater

(1) VII, § 139.

Tyrius aetheri tribuebat principatum, Chrysippus et Posidonius coelo, Cleanthes soli; sed mox Laërtius aliam opinionem tribuit Chrysippo, qua mundi principatus ponitur in purissima parte aetheris. Et est haec verior Chrysippi sententia, quam Stoicis generatim Plutarchus (1), et ipsi Chrysippo diserte Cicero (2) tribuit. Igitur Chrysippus, ut solebat placita sua dictis poëtarum, in primis Euripidis, confirmare, haud incommode huc referebat celebres illos Euripidis versus ex Thyeste, deperdita tragoedia, quos tamen ad Eressas referendos esse putat Valckenaerius:

Ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα,
Καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις·
Τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ θεόν.

Quem locum vertit Cicero de Natura Deorum (3):

Vides sublime fusum, immoderatum aethera,
Qui tenero terram circumjectu amplectitur?
Hunc summum habeto divûm: hunc perhibeto Jovem.

Alii quoque poëtae latini Euripidem imitando expresserunt; veluti Pacuvius in Chryse, cujus locum plenius prodit Valckenaerius (4):

Hoc vide circum supraque, quod complexu continet
Terram; nostri coelum memorant, Graji perhibent aethera:
Quidquid est hoc omnia is animat, format, auget, alit, creat,

---

(1) De Plac. Phil. I, 7, p. 881 F. (2) De N. D. I, 15. Vid. Aldobrandinus ad Diog. Laërt. (3) II, 25. (4) Diatr. p. 47. Cf. Gatak. ad M. Ant. IV, § 23.

Sepelit, recipitque in sese omnia; omnium idem est Pater;
Mater est terra; ea parit corpus; animam aether adjugat:
Indidem eademque oriuntur; de integro atque eodem occidunt.

Ennius in Thyeste ([1]):

Adspice hoc
Sublime candens, quem invocant omnes Jovem.

Lucretius ([2]) porro Euripidis de aethere dictum transfert ad confirmandam Epicuri et Democriti opinionem, plures esse mundos.

Neque vero haec mundi machina atque compages semper stabit; sed aliquando comburetur et conflagrabit, at deinceps denuo instaurabitur, ita ut in aeternum mundus comburatur vicissim atque renovetur. Statuebant quoque alium mundi interitum, qui fieret per aquam, ut intelligitur ex Diogene Laërtio ([3]) et Seneca ([4]), quod utrum ex suae disciplinae decretis, an ex communi opinione, quam Plato quoque tenuit, dixerint, incertum est. Ceterum hoc certis intervallis fiet, et novus exsistet mundus huic similis, et in quo sint omnia quae in priore fuerunt ([5]). Per combustionem omne quidem malum exuretur; sed tamen idem malum denuo redibit mundo instaurato, qui ipse nova iterum combustione peribit ([6]). Nemesius ([7]) eam vocat ἀποκατάςασιν τοῦ πάντος, formula solemni Stoicorum, qua etiam

([1]) Apud Cic. de N. D. II, 2, III, 4. ([2]) II, 1066 sqq. ([3]) VII, § 141, 142. ([4]) Qu. Nat. III, 29. ([5]) Sen. cons. ad Marc. c. 26, ad Polyb. c. 21. ([6]) Plut. adv. Stoic. p. 1067 A, Sen. Qu. Nat. III, 30. ([7]) De Nat. Hom. c. 38.

usus est Apostolus Paulus (1). Sed operae pretium est apponere locum Lucani (2), qui magnifice ex Stoicorum disciplina describit mundi interitum:

> Sic quum compage soluta
> Secula tot mundi suprema coëgerit hora
> Antiquum repetens iterum chaos, omnia mixtis
> Sidera sideribus concurrent: ignea pontum
> Astra petent: tellus extendere litora nolet,
> Excutietque fretum: fratri contraria Phoebe
> Ibit, et obliquum bigas agitare per orbem
> Indignata, diem poscet sibi: totaque discors
> Machina divulsi turbabit foedera mundi.
> In se magna ruunt.

Sequitur ut sententia Stoicorum de fato exponatur. Vidimus omnes mundi partes inter se aptas et connexas esse, ut omnes ad unum et certum finem compositae sint. Et in minimarum etiam

(1) Cff. M. Ant. XI, § 1, Eus. Pr. Ev. XV, 18, Lact. Div. Inst. VII, 23. Posidonius, qui τὴν ἐκπύρωσιν repudiabat, tamen mundi διάλυσιν seu ἀνάλυσιν admittebat: de utriusque differentia vid. Cleomedes, Cycl. Theor. p. 305 ed. Bas. Neque ideo φθαρτὸν εἶναι τὸν κόσμον statuebat, sicuti ceteri Stoici, qui ipsam οὐσίαν interire censebant: Posidonius contra essentiam ipsam manere dicebat, neque ullam recipere mutationem, nisi in numeris atque mensuris. Illud placitum, mundum certis temporum intervallis combustum et reparatum iri Heraclito et Hippaso Pythagoreo cum Stoicis commune erat. (2) Phars. I, 72 sqq. Respexit ad hanc Stoicorum ἐκπύρωσιν Ovidius, Met. I, 252 sqq., quum Jovem deliberantem facit, flamma an undis perderet impium genus hominum. Videatur etiam Lipsius, Phys. Stoic. II, diss. 22 et 23, qui de hoc placito multa congessit.

rerum utilitatibus explicandis, exiguam quidem, sed subinde tamen obscuram diligentiam exponebat Chrysippus, veluti quum diceret, cimices; κόρεις, etiam hominis caussa esse factas, ut excitaretur, nec in desidiam somnumque incideret, et alia, quae sunt apud Plutarchum (1). Hinc vero concludebant, omnia in mundo optime esse facta et constituta, ut melius, quam est, fieri nil potuisset. Quod decretum a Platone aliisque jam probatum, a Stoicis confirmatum, sub initium praecedentis seculi a Leibnitzio et deinde a Wolfio celebratum est. Stoici, quibus sententiam confirmarent suam, haec fere afferebant argumenta: primum: quod Deus est praestantissima et sapientissima natura; quare quidquid agit et facit ejusmodi esse debet, ut praestantius meliusque fieri non possit: alterum: quum in hominis et aliorum, quae cognoscimus, animantium fabrica, tantum sit artificium, ut majus excogitari non possit, quid caussae est, quin statuamus, totam naturam eadem arte esse compositam: tertium: quod mundus omnia complectitur, quae exsistunt; quod exponit Balbus apud Ciceronem (2): quartum ab experientia ductum est, atque proditum sub ejusdem Balbi persona (3). Itaque nihil temere vel casu; sed omnia fiunt ex antecedentibus caussis; quae quidem omnes ita cohaerent, ut omnium mutationum et rerum, quae vel in universo mundo fiant,

(1) De Rep. Stoic. p. 1044 D. (2) De N. D. II, 14. (3) II, 34.

vel unicuique homini aut animanti contingant, semina quasi in eorum origine et primo statu fuerint inclusa; quod Latine dicitur fatum, Graece εἱμαρμένη, vel, secundum quosdam, sed perperam, ab εἴρω, necto, quia est quasi connexio caussarum, vel potius a μείρω, divido, partior, unde et μοίρα dicitur fatum, et cujuslibet destinata et constituta portio. Hoc placitum Stoicorum explodunt Vellejus et Cotta apud Ciceronem [1]. Definitio Stoicorum est apud Diogenem Laërtium [2], Plutarchum [3], et, ipsius Chrysippi verbis ex libro quarto de Providentia, apud Gellium [4]: „Fatum est sempiterna quaedam et indeclinabilis series rerum et catena, volvens semetipsa sese et implicans per aeternos consequentiae ordines, ex quibus apta connexaque est." Stoicorum hoc loco similis erat sententia et ratio ac Leibnitzianorum; nam utrique rerum futurarum firmitatem ex connexione caussarum repetebant, quibus caussis totus mundus veluti machina contineretur. Itaque Chrysippus, quamquam fatum tuebatur, tamen necessitatem repudiabat, et voluntati libertatem vindicabat. Et primum quidem quod ad repellendam necessitatem valebat, affirmabat nihil quidem fieri sine caussa; sed tamen caussam non habere vim tantam, ut effectus etiam inde necessario consequi debeat: alias esse caussas necessa-

---

(1) De N. D. I, 20, III, 6. (2) VII, § 149. (3) De Plac. Phil. I, 28, p. 885 B. (4) N. A. VI, 2.

rias, verbi caussa, ut interjectu terrae inter lunam et solem luna obscuretur: alias ancipites et liberas, veluti quum homo a natura ipsa necessario se ipse amet et suae felicitati studeat, tamen in ejus potestate et arbitrio sit, utrum hanc felicitatem hoc aliove modo consequi velit. Porro recte distinguebat necessitatem caussae a necessitate effectus, ut effectus quidem a caussa debeat proficisci, non contra, ut res omnis etiam caussa sit, ex qua aliquid effici debeat; veluti necesse est ut cera igni admota liquescat, non vero necesse est ut cera igni admoveatur. Diodorus Cronus Chrysippum acerrime impugnabat, neque ejus libertatis defensionem probabat, contra affirmabat, omnia ab aeterno esse constituta et necessaria, etiamsi nulla caussarum ratio habeatur. Nam e principio repugnantiae omne enunciatum esse vel verum vel falsum: igitur si nunc quis aegrotet, de eo posse dici, eum ex hoc morbo vel moriturum esse, vel sanatum iri. Alterutrum verum est; itaque nullis etiam adhibitis caussis hoc fiet, quod futurum. Hoc est syllogismi genus quod Ignava Ratio, ἀγρὸς λόγος, appellatur. At vero Chrysippus recte opponebat: si necesse sit eum sanum evasurum, etiam ipsas caussas, quibus convalescat, necessarias esse. Cicero ([1]), quamquam jocans, tamen accurate utriusque significat senten-

---

([1]) Epp. ad Varr. IX, 4.

tiam: „ Περὶ δυνατῶν me scito κατὰ Διόδωρον κρίνειν. Quapropter, si venturus es, scito necesse esse te venire: sin autem non es, τῶν ἀδυνάτων est, te venire. Nunc vide, utra te κρίσις magis delectet, Χρυσιππείαne, an haec, quam noster Diodotus non concoquebat. Sed de his etiam rebus, otiosi cum erimus, loquemur: hoc etiam κατὰ Χρύσιππον δυνατὸν est." Porro negabat fato in omnes homines eandem vim esse; nam, ut quisque maxime ingenium animumque disciplina et literis excoluisset, ita quemque minime fati necessitati subjectum, magisque sui juris et arbitrii esse: atque ita fieri ut caussae externae ita quemque cogant, prouti ipsius vel natura, vel consuetudo et animus sit. Quam quidem in rem operae pretium est legere Aulum Gellium (1). Huc accedebat, quo magis voluntati libertas assereretur, ut eo magis assensionem in nostra potestate positam esse diceret: quod placitum supra attigimus et Cicero accuratius exponit in fragmento quod ex libro de Fato superest.

Denique adversariis, qui contendebant voluntatem sine caussa moveri, quique ideo eam quam hodierni libertatem indifferentiae vocant inducebant; his igitur ita respondebat, ut diceret voluntatem in rebus eligendis iis, quae nihil differre viderentur, moveri tamen aliqua caussa, sed minima illa, ut ejus vis sive actio ab hominibus vix

(1) N. A. VI, 2.

percipi possit: eamque facultatem mentis vocabat ἐπελευστικὴν δύναμιν, eo quod ἐπελεύσει, id est superveniente alia re, moveretur (1).

Sequitur ut de psychologia Stoicorum exponatur. Animorum complura sunt genera: deorum, heroum, hominum, brutorum, ex quibus hoc loco peculiariter hominum animi spectantur. Et primum quidem a Platone et Aristotele in eo dissentiebant, quod animum corporeae naturae esse statuebant. Neque etiam aliter facere poterant Stoici, quippe qui omne quod esset ac constaret corpus esse censebant; sed de ipsa substantia non omnes idem sentiebant. Alii ex aëre, alii ex igne, alii ex spiritu calido eum esse volebant; omnes tamen fere in eo conveniebant eam esse ductam et quasi decerptam ex ipsa natura divina, et particulam ignis illius τεχνικοῦ, sive Dei. Similis huic fuit sententia Pythagorae et Platonis, quam tangit quoque Horatius (2), quum animum vocat, *divinae particulam aurae.* Ani-

(1) Vid. Plut. de Rep. Stoic. p. 1045 B, C. De fato ex Stoicorum sententia cff. C. Beving, commentatio ad quaestionem: „Monstretur quantum Stoicorum et Epicureorum doctrinae, tum ad illustrandum atque a superstitione liberandum gentium antiquarum ingenium, tum ad earundem mores excolendos conferre potuerint, quoque respectu Stoicis, quo Epicureis, palma ferenda sit", in primis p. 55 sqq., in Ann. Acad. Leod. 1826—1827: Zimmermann, diss. duae de Fato Stoicorum, in Museo Hist.-Philol. Theol. Brem. vol. I, parte I. (2) Serm. I, 2, 79.

mus igitur nascitur tamen ex semine parentum, quod est secundum Zenonem temperies detracta ex animi facultatibus; vivere autem et vigere incipit secundum Chrysippum post nativitatem demum: idemque hoc etiam argumento contendit animum non antea exstitisse, quod liberi parentum similes fiant moribus et ingenio (1), ejusque opinionem secutus est Panaetius, ut intelligitur ex Cicerone (2). Neque vero initium tantummodo, sed interitum etiam habent animi. Cleanthes quidem eos usque ad mundi conflagrationem perdurare volebat; Chrysippus autem statuebat solum sapientis animum usque ad eum pertingere terminum; reliquos non satis habere roboris, ut tantam temporis diuturnitatem ferrent. Rationes quare animi non sint immortales ex Panaetio affert Cicero (3).

Sed animi corporibus soluti, utrum praemia poenasque eorum, quae in vita egerunt, laturi sint necne, non satis diserte pronuntiarunt: unde sunt qui putent eos totum hunc locum repudiasse; quod tamen ad vivum resecari nequit. Vulgarem quidem superstitionem et fabulas de inferis explodebant, ut apparet ex verbis Balbi apud Ciceronem (4);

---

(1) Cf. Plut. adv. Stoic. p. 1053 C. (2) Tusc. I, 32. Cff. quae plura notavit Wytt. ad Plut. de S. N. V. p. 84. (3) Tusc. I, 18, 19, 31, 32, 49. Cf. Meiners, phil. Schriften, Th. II, Stoic. sent. de anim. post. mort. statu et fatis. (4) de N. D. II, 2.

cui addantur etiam Epictetus ([1]) et Seneca ([2]).

Animis corpore solutis domicilium circa lunam a Stoicis tribui refert Tertullianus ([3]), qui fuit ipse Stoicus: addit etiam hoc eorum placitum: „Sapientum animos superiore et sublimiore coeli parte degere, et erudire animos imprudentium, qui circa terram versentur." Atque hoc fortasse non fuit communis Stoicorum, sed unius alteriusve ex iis opinio. Ceterum huc videtur redire sententia eorum, ut praemia quidem, non poenae maneant mortuos: „Nullus," inquit Epictetus ([4]), „est Acheron, nullus Cocytus, nullus Pyriphlegethon, omnia sunt plena deorum et geniorum." In horum et defunctorum consortio animus vera felicitate fruitur ([5]). Lucanus ([6]) Pompeji animum corpore excedentem in coelestes regiones abire narrat, ita quidem ut facile appareat eum Stoicorum sententiam sequi:

Prosiluit busto, semustaque membra relinquens,
Degeneremque rogum, sequitur convexa Tonantis:
Qua niger astriferis connectitur axibus aër,
Quodque patet terras inter, lunaeque meatus
Semidei manes habitant, quos ignea virtus

([1]) Arrian. III, diss. 13. ([2]) Cons. ad Marc. c. 19. ([3]) De anim. c. 54. ([4]) l.l. ([5]) Sen. cons. ad Marc. l.l., ad Polyb. c. 27, 28. Cum his conferendus est locus Ciceronis Tusc. I, 17—20, quem Lipsius, Phys. Stoic. III, diss. 14, ex Stoica disciplina petitum putat, nos partim ex Stoica, partim Platonica doctrina haustum judicamus. Vid. Wytt. not. ad Plut. de S. N. V. p. 97. Cf. omnino Sext. Emp. adv. Phys. IX, § 71—75. ([6]) Phars. IX, 3 sqq.

Innocuos vitae, patientes aetheris imi
Fecit, et aeternos animam collegit in orbes.
Non illuc auro positi, nec ture sepulti
Perveniunt: illic, postquam se lumine vero
Implevit, stellasque vagas miratus, et astra
Fixa polis, vidit quanta sub nocte jaceret
Nostra dies, risitque sui ludibria trunci.

Partes animi faciebant octo: quinque sensus, tum σπερματικὸν λόγον, qui in nobis est, id est facultatem et cupiditatem procreandi, porro facultatem loquendi, denique τὸ λογιστικὸν seu facultatem ratiocinandi, quod ipsum est τὸ ἡγεμονικὸν seu pars principalis (1). Τὸ λογιστικὸν sedem habet in corde, circum illud reliquae partes sunt circumjectae (2). Non igitur, ut Plato, cupiditatibus et voluptatibus peculiares sedes animi tribuebant, sed perturbationes et affectus in ipso ἡγεμονικῷ fieri dicebant. Illud ἡγεμονικὸν pars Dei atque adeo ipse Deus vocatur. In quo item apparet imitatio ex Euripide ducta a Chrysippo (3). Ex Stoicorum

(1) A Zenone animus in tres, a Chrysippo in octo, a Panaetio in quinque et in sex, ab Apollophane in novem, a nonnullis Stoicorum in decem, a Posidonio in plures partes dividebatur; qui, a duobus ortus titulis, principali, τοῦ ἡγεμονικοῦ, et rationali, τοῦ λογικοῦ, eos in duodecim porro partes secuit. Cf. Tertull. de anim. c. 14. (2) Vid. Galenus de dogm. Hipp. et Plat. fol. p. 111, 123. Fuerunt ex Chrysippi discipulis, qui τὸ ἡγεμονικὸν in capite esse censerent. (3) Vide fragm. Eurip. p. 494 ed. Beckii: θεὸς γάρ τις ἐν ἡμῖν. Locus ipse exstat in schol. Pind. in Nem. VI, Zenonis sic exhibetur: ὁ νοῦς γάρ ἡμῖν ἐστιν ἐν ἑκάστῳ θεός.

rum sententia loquitur Cicero [1], eandemque sententiam Euripidi tribuit in Tusculanis [2], ad eamque Nemesius [3] et Theon [4] spectare videntur.

Superest ultimus physices locus qui est de divina natura, quem in quatuor distribuebant partes, ut apparet e verbis Balbi [5]: „Primum docent esse deos; deinde, quales sint; tum, mundum ab iis administrari; postremo, consulere eos rebus humanis." Primum igitur esse deos multis rationibus confirmabant: quod, quamquam contemplatione terrae et coeli evidentissime et omni demonstratione efficacius probari putabant; tamen, ut exponit Balbus [6], argumenta rationesque adjungebant: prima ratio est quod omnibus hominibus notio Dei indita est a natura; nisi enim ita esset, non ab omni aevo usque ad hanc aetatem constanter mansisset opinio in hominum animis. Jam non credibile est Stoicos voluisse hanc notionem Dei hominibus innatam esse, quod voluerunt recentiores Cartesius et Leibnitzius, quippe qui animum nudum ab omni notione in mundum ingredi volebant, et Platonis de notionibus innatis sive ideis e priore vita retentis opinionem ridebant. Sed nimirum illud voluisse videntur,

---

(1) De Off. III, 10. (2) I, 26. (3) De N. H. p. 169. (4) Progymn. p. 60. De sensibus eorumque officio quatenus ad physicen pertinent, cff. D. L. VII, § 157—160 et Plut. de Plac. Phil. IV, 4, p. 898 E, 21, p. 903 A, B. (5) Cic. de N. D. II, 1; cff. c. 20 sqq., 65. (6) De N. D. II, 4.

hanc notionem tam in aperto et in promptu esse sitam, ut hominis animus sponte fere in eam incidat. Quod idem Cicero (¹) suis verbis proponit, dicens, nullam enim gentem tam feram, neminem omnium tam immanem esse, cuius mentem non imbuerit deorum opinio. His adjiciuntur duo multo infirmiora et, ut vere dicamus, vana argumenta, ducta e superstitione populari, quam in suum usum convertebant Stoici. Primum ducitur ex apparitionibus deorum (²). Alterum argumentum petitur ab oraculis, praedictionibus rerum futurarum, haruspicum disciplina et augurum: quod argumentum persequitur, et prolatis multis ex historia documentis domesticis et externis ita concludit Balbus (³). „Quorum interpretes sunt, eos ipsos esse certe necesse est; deorum autem interpretes sunt; deos igitur esse fateamur. — Itaque inter omnes omnium gentium *summos hoc* constat; omnibus enim innatum est, et in animo quasi insculptum, esse deos (⁴)." Aliud vero ar-

(¹) [illegible] Cic. de N. D. II, 2. (²) [illegible] de [illegible] II. 3, 4 et 6. (⁴) Hoc loco duo sunt notanda: primum, quum vulgo legatur *summa constat*, veriorem esse scripturam *summos hoc* constat: deinde, quod ait Balbus de notione innata deorum, potius hoc e Platonicorum et Epicureorum doctrina eum assumsisse, ut caussae suae serviret, quam ex ipsorum Stoicorum decretis repetiisse, quippe qui, ut supra notavimus, nec notiones innatas hominum mentibus esse statuebant, sed eas ab omni cogitatione nudas in corpora ingredi existimabant.

gumentum, a nobis proximis multo firmius certiusque, e Chrysippo latine versum exstat apud Ciceronem [1], quod eo redit: si quid est in rerum natura quod hominis mens efficere non possit, est certe id, quod illud efficit, homine melius. Id autem quid potius dixeris quam Deum? Sequentia quoque, quae deinceps subjiciuntur, Chrysippea sunt, et valent ad explicationem superioris argumenti. Primum spectat ornatum mundi, varietatem pulchritudinemque rerum caelestium, vim et magnitudinem maris atque terrarum, quae si nostra ac non deorum immortalium domicilia putemus, plane desipere videamur [2]. Secundum eo pertinet ut intelligatur alias esse naturas cogitantes praeter hominem, easque majori acie et facultate praeditas [3]. Tertium a Socrate sumtum est, qui apud Xenophontem [4] hac ratione utitur: hominis quidem corpus unde exsistit apparere: partim e terra, partim ex aqua, partim coelo, partim aëre coaluisse: cogitandi autem facultatem non ex his quatuor elementis constare; esse igitur aliquam [illegible], aliquam in rerum universitate mentem, a qua homo cogitandi vim nactus sit. His argumentis summam necessitatem tribuebant Stoici, neque temere. De iis enim Balbus ita praedicat [5]: „Chrysippus quidem quamquam est acerrimo ingenio, tamen ea

(¹) De N. D. II, 6. (²) Cic. l. l. (³) Sext. Emp. IX, § 86. (⁴) Mem. I, 4, 8. (⁵) De N. D. II, 6 et 7.

dicit, ut ab ipsa natura didicisse, non ut ipse reperisse videatur. — Illud autem, quod *vincit* (¹) haec omnia, rationem dico, et, si placet pluribus verbis, mentem, consilium, cogitationem, prudentiam, ubi invenimus? unde sustulimus? An cetera mundus habebit omnia, hoc unum, quod plurimi est, non habebit? Atqui certe nihil omnium rerum melius est mundo, nihil praestabilius, nihil pulchrius, nec solum nihil est, sed ne cogitari quidem quidquam melius potest. Et, si ratione et sapientia nihil est melius, necesse est haec inesse in eo, quod optimum esse concedimus." Alia Stoicorum argumenta refert Sextus Empiricus (²), ubi quamquam Stoicos non nominat, tamen ea Stoicorum argumenta esse satis constat. Primi argumenti haec est summa. Quum corpora seu rerum substantiae per se sint, absque motu et figura, debet haec admiranda mundi machina ab externa quadam caussa exstitisse. Haec caussa non potest esse alia, nisi vis quaedam, quae corpora penetrat et gubernat, sicuti animus noster penetrat gubernatque corpus nostrum. Sed haec vis vel a se movetur ipsa, vel ab alia vi. Ab alia vi

(¹) Hoc loco *vincit* non est *superat* sed *ligat*, *continet*: Stoici volebant corporis partes ab animo quasi ligari, conglutinari. Vidd. Sextus Empiricus IX. § 72 et Posidonius apud Achill. Tatium, Isag. in Arat. Phaen. c. 13, quem Fabricius ad illum Sexti locum laudat. (²) IX, § 75 sqq.

moveri nequit; nam ipsa illa vim requireret aliam, a qua ipsa iterum moveretur. Itaque est prima et princeps vis, quae non moveatur ab alia vi. Atque haec princeps vis divina est et aeterna; nam vel ab aeterno movetur vel moveri coepit aliquo tempore. Hoc repugnat; neque enim caussa est quare, quum antea quievisset, aliquo tempore moveri coeperit. Ab aeterno igitur movetur caussa, quae materiam certo et constante ordine movet ac gubernat. Quae quidem caussa Deus est. Praeterea, quod rationem et cogitationem procreat, ipsum debet valere ratione et cogitatione. Deus autem hominem ratione et cogitatione praeditum procreavit; ergo est princeps caussa, est Deus ratione et cogitatione valens.

Alterum, quod ab eodem S e x t o exponitur, huc redit. Corpora sunt vel ἡνωμένα, *unita*, vel e συναπτομένων, *compactis*, vel e διεστώτων, *distantibus*. Unita sunt, quae uno habitu continentur, veluti plantae et animalia: e compactis constant ea, quae e proxime conjunctis et una serie cohaerentibus constant, veluti catena, turris: e distantibus sunt ea, quae constant e partibus, quarum quaeque per se exstat et ab altera segregata est, veluti exercitus, grex, chorus. Mundus igitur, quia corpus est, ex uno debet esse trium horum generum. Atqui mundus est ἡνωμένον, ut ratio et diligens naturae observatio docent; est enim arctissima connexio et συμπάθεια rerum in hoc mundo. Sed corpora ἡνώμενα continentur vel ὑπὸ

ψυχῆς. [illegible] nudo habitu continentur, velut ligna et lapides: vel natura, ut plantae; vel anima, ut animalia. Simplici habitu non continetur mundus (1), apparet ex magnis rerum in eo conversionibus. Natura igitur continetur et illa quidem conjuncta cum anima, quippe ipsa natura animal est. Sed mundus quum constet ex comprehensione cum summa omnium naturarum; natura quae illum continet optima est. Eapse natura debet esse praedita mente praedita, quippe quae ipsa continet naturas rationales et mente praeditas. [illegible] potest esse deterius partibus suis. Quare [illegible] tiam est natura, quae mundum continet, eam [illegible] dem intelligens, immortalis, id est Deum.

Tertium [illegible] ab [illegible] ex [illegible] dignitate prae- dit Sextus. Hoc [illegible] non ex antecedentia e principio causalitatis, sed ex notione de vi naturae praestantissimae; non, Cartesiana quidem ratione, ut ex ejus naturae essentia et possibilitate conficiatur, eam revera esse et constare; sed ut e variis naturarum gradibus colligatur, esse naturam quandam, quae summum obtineat gradum, eamque naturam esse Deum.

Quartum laudatur ab eodem Sexto, auctoritate Zenonis, qui illud a Xenophonte (1) duxerat, cujus haec est summa: mundum, quia proferat naturas sentientes et cogitantes, ipsum continere in se principium sentiens et cogitans, quod complectatur λόγους σπερματικοὺς animalium.

(1) Mem. I, 4, 8.

Quinta argumentatio ducitur e ratione, qua mundus movetur et regitur; quod apud Ciceronem (1) late explicatum invenitur et apud Sexti Empirici (2). Mundus movetur aut natura, aut consilio et libertate, vel turbine et necessitate. Turbine et necessitate non movetur, [illegible] natura vero, quae vel bruta vel intelligens; si brutae naturae tam admirabilis effici [illegible] quare relinquitur mundum moveri vi naturae, quae consilio, libertate, et intelligentia valeat, quae [illegible] est Deus. Jam intelligitur omnia haec argumenta tendere atque eo convenire, ut summus Deus sit causa efficiens mundi, motor, informator inertis et informis materiae, diffusus atque habitans per omnem mundum. Hoc est quod poëta, profectus e Stoica schola, Manilius (3), cecinit:

Namque canam tacita naturae mente potentem,
Infusumque Deum caelo terrisque fretoque,
Ingentem aequali moderantem foedere molem;
Totumque alterno consensu vivere mundum,
Et rationis agi motu; quum spiritus unus
Per cunctas habitet partes, atque irriget orbem
Omnia pervolitans, corpusque animale figuret.

Plato autem, quamquam ipse quoque mundo tribuit animam, hanc tamen a summo Deo creatam esse voluit; quo uno excepto, in reliquis effectibus animae mundi cum Platone Stoici consentiunt. Hanc sententiam expressit Virgilius

(1) De N. D. II, 8—15. (2) IX, § 111. (3) Astr. II, 60 sqq.

celebratissimis illis versibus (1), qui tam Stoicae, quam Platonicae doctrinae colorem referunt.

> Principio caelum ac terras, camposque liquentes,
> Lucentemque globum lunae Titaniaque astra
> Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
> Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.
> Inde hominum pecudumque genus, vitaeque volantum,
> Et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus.
> Igneus est ollis vigor et caelestis origo
> Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
> Terrenique hebetant artus moribundaque membra.

Quibuscum comparari possunt, quae alio loco de divina natura canit (2).

Plura, quae apud Sextum Empiricum (3) exstant argumenta, non sunt singularia, nec ab antecedentibus diversa, sed antecedentia illustrant. Quae vero deinceps (4) ab eo exponuntur, e contrario sunt petita; id est absurda memorantur, quae admittenda sint, nisi statuamus deos esse: veluti si non sunt dii, non est pietas; atqui est pietas; ergo sunt dii. Si non sunt dii, non est divinatio; atqui est divinatio; ergo sunt dii. In quibus syllogismis desideramus sane Stoicorum acumen, qui non viderint ipsas rationum praemissas tales esse quae prius probandae sint. Multo hac in parte cautius prudentiusque egit Cicero (5), quum e sua ipse persona loquens, ita disputat, ut doceat, diis sublatis nullam posse exsistere pie-

(1) Aen. VI, 724 sqq. (2) Georg. IV, 219 sqq. (3) IX, § 111—123. (4) § 123—137. (5) De N. D. I, 2.

tamen non ex eo, quod a ratione abhorreat, nullam esse pietatem, confiteri velit, deos esse. Atque ex ipsis his argumentis, quibus Stoici demonstrabant Deum esse, pars continuo intelligitur sententiae eorum de duobus aliis locis, quorum alter est de origine notionis quam habemus divini numinis; alter de ipsius virtutibus et attributis. Et quod ad originem hujus notionis pertinet, haec in pulchritudine et admiranda fabrica mundi ejusque partium et effectuum posita est, ut homines sponte inducerentur in eam opinionem, esse caussam quandam, quae haec omnia effecerit praestantem atque intelligentem. Sextus Empiricus (3) refert seriorum Stoicorum hanc fuisse opinionem: homines primos, qui initio mundi conditi exstitissent, multo fuisse et ingeniis acutiores et corporum viribus robustiores, quam qui postea et nostra aetate nascerentur: horum quosdam mente acie intellexisse divinam exstare naturam, atque ex hoc fonte illam notitiam ad reliquum hominum genus dimanasse. Ab his non procul abire videtur Manilius (4); nam, quum Stoici, ut supra vidimus, statuerent homines e deorum semine ortos esse, poeta ex hac ipsa cognatione originem ducit notitiae deorum.

Sed de virtutibus et attributis divinae naturae uberius exponendum est. Stoici igitur nomen Dei va-

(3) IX, § 18, 28. Cf. Plut. de Plac. Phil. I. 6. (4) II, 105 sqq.

riis tribuebant naturis praeter summum Deum, qui est principium agens, nam et astra, et mundum, et terram, et eos, qui vulgo habebantur deorum nominibus appellabant. Sed hos nunc de summo Deo et caussa omnium rerum efficiente dicemus. Itaque hunc ipsum variis definiebant. Prima est definitio memoranda, quae exstat apud Plutarchum (1): Πῦρ τεχνικὸν ὁδῷ βαδίζον ἐπὶ γένεσιν (2) κόσμου (3), ἐμπεριειληφὸς (4) πάντας τοὺς σπερματικοὺς λόγους, καθ' οὓς ἕκαστα καθ' εἱμαρμένην γίνεται; cujus loci versio est: „Ignis artificialis progrediens via et ratione ad mundi generationem, *complexus* leges naturae, secundum quas omnia fato fiunt." Alia ibidem est haec definitio: „Spiritus totum mundum permeans, e varietate materiae, quam penetrat, varia nomina accipiens"; cui subjungitur tertia definitio, qua dicitur summus Deus esse νοῦς ἐν αἰθέρι, mens in aethere insita. Idem scriptor aliam definitionem praemiserat (5): Πνεῦμα νοερὸν καὶ πυρῶδες, οὐκ ἔχον μὲν μορφὴν, μεταβάλλον δὲ εἰς ἃ βούλεται, καὶ συνεξομοιούμενον πᾶσιν: „Spiritus intelligens, igneus, qui formam quidem ipse non habeat, sed convertat se in quod-

(1) De Plac. Phil. I, 7, p. 881 F. (2) Secutus sum Galenum, Phil. Hist. c. 8: vulgo legebatur γενέσει. (3) Recepi Beckii emendationem, qui omisit τοῦ, et comma vulgo post βαδίζον positum transposuit. (4) Pro vulgato ἐμπεριειληφότος. (5) I, 6, p. 879 C. Cf. Cic. de N. D. II, 17, 31.

[illegible] rerum formator [illegible]. Atque ex his quae dicta sunt, quum ita [illegible] dicerentur, apparet, Stoicos haud adeo repugnantia dixisse, Deum [illegible] varietate attributionum nominibus appellantes; modo ignem artificialem, modo vigorem rationalem, solem item, quia ipse maxima sit vis ignis omnia conservantis et [illegible]; porro legem naturalem, rectam jubentem et mala vetantem; tum rationem quae totum mundum permeat; nunc animam mundi; nunc providentiam, fatum, naturam; nunc aetherem intelligentem; denique ipsum mundum. Sed hae nimirum appellationes sunt unius ejusdemque subjecti, atque varia Dei praedicata; quod disertis verbis tuetur scriptor Christianus Lactantius (1), cujus verba jam supra attulimus (2). Eodem hoc loco refert quoque Cleanthis sententiam, ab Anaximene profectam, et a Virgilio (3) expressam: Cleanthes et Anaximenes aethera dicunt esse summum Deum; cui opinioni poëta noster assensit:

> Tum pater omnipotens fecundis imbribus aether
> Conjugis in gremium laetae descendit, et omnes
> Magnus alit, magno commixtus corpore, fetus.

Ceterum et horum et aliorum philosophorum sententias eodem redire contendit, nimirum ut unus his significetur summus Deus.

(1) Div. Inst. I, 5. (2) p. 127. (3) Georg. II, 325 sqq.

Et vero non est nisi unus Deus, principium agens, formatorque materiae, diffusus per totum mundum, cujus quasi anima est; nam quum omnes mundi partes arctissime connexae sint, non est nisi unus mundus, neque potest arctissime connexus esse, nisi ab uno spiritu regatur et animetur; sed extra Deum et mundum nihil est; itaque unicus est Deus. Nam dii qui vulgo coluntur, et daemones omnes sunt mortales, unus est immortalis (1). Stoici enim, ut Graeci, daemones distinguentes a summo naturae rectore, etiam genium suum δαιμόνιον Deum vocare solebant. Ex Senecae deperditis libris egregias harum rerum sententias protulit Lactantius (2). Atque ipse quoque Seneca, qui Romanorum vel acerrimus Stoicus fuit, saepe summum Deum merita laude prosequitur. Nam quum de immatura morte dissereret: Non intelligis, inquit, auctoritatem ac majestatem judicis tui, rectorem orbis terrarum, caelique et deorum omnium Deum, a quo ista numina, quae singula adoramus et colimus, suspensa sunt. Item in Exhortationibus: Hic, quum prima fundamenta molis pulcerrimae jaceret, et hoc ordiretur, quo neque majus quidquam novit natura, neque melius; ut omnia sub ducibus suis

(1) Cic. de N. D. II, 13—15. Cfr. Plut. de defect. orac. p. 420 A, Athenag. leg. pro Christ. VI, aliaque, quae laudat Wytt. in diss. Stolp. de unitate Dei, opusc. tom. II, p. 399 sqq. Nec sunt praetereundi loci Senecae, de Benef. IV, 8, Qu. N. II, 45. (2) Div. Inst. I, 5.

[illegible] per totum se corpus intende-rat, tamen ministros regni, [illegible] deos genuit. Deus igitur per totum [illegible] diffusus, [illegible] quod varietate materiae varia nomina [illegible] accepit, atque hac ratione plures [illegible] reliquos, [illegible] materia fecit elementa et ex elementis alia corpora quae ipse animat; [illegible] Deus [illegible] quaeque parte, [illegible] Spiritus [illegible] pretantur, sed totum in omnibus partibus [illegible] Stoici [illegible] membra [illegible] Dei [illegible] significat [illegible] sententiam suam Seneca (1) [illegible] Totum hoc quo continemur, et unum est et Deus, et socii ejus sumus et membra. [illegible] oppugnans Stoicorum sententiam, [illegible] Deum totum [illegible] parte [illegible] Dei membra [illegible] esse, [illegible] Virgilius hoc quos jam supra attulimus, [illegible] cecinisse putat:

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

Hinc efficitur Deum omnibus rebus esse praesentem, neque quidquam ejus cognitionem fugere; nam et ipse mundum ita ordinavit et ita omnia permeat, ut omnino nihil sit quod eum latere queat, ne tacitae quidem animi nostri cogitationes (2). Atque ex his, quae dicta sunt, intelligitur, neque Deum esse summa sapientia praedi-

(1) Ep. 92. (2) Sen. Ep. 83, de vita beata, c. 20.

tuit; nisi quidem sapientiae est [illegible] Aca-demicorum [illegible] inepta, scientiam [illegible] per-culiares rationes leguntur apud Ciceronem (1) et Sextum Empiricum (2).

Porro summa in Deo est benignitas, siquidem mundum [illegible] praeclare [illegible] hominis causa condidit [illegible] Epi-curus (3). Exagitarunt eandem Academici; ut e Cicerone patet (4). Porro quum Deus beneficus sit natura, omnis ab eo abest ira, omnis affectus. Nam affectus, quum ab homine sapiente abesse debeant, minus etiam in Deum cadunt. Epicu-rus ipse quoque iram a diis abesse volebat; sed longe alia de caussa, nimirum quod beati essent dii, neque res humanas curarent, ut omnem eo-rum cultum et religionem tolleret, quae sententia notissimis versibus a Lucretio (5) prodita est: Stoicorum vero rationes a Seneca (6) expositae sunt.

Itaque omnipotens etiam est Deus, nam et ipse materiam formavit omniaque ex eo procreavit, et leges ei indidit, secundum quas movetur. Neque ergo Deus est subjectus necessitati cuidam vel fato, quo coelum, maria et terrae regantur; nulli est naturae obediens; contra ipse omnem regit natu-ram (7).

[illegible] Lact. Div. Inst.
[illegible] Acad. II, 38. [illegible] II, 27:
[illegible] addantur ejusdem ep. [illegible]
de Ira Dei, c. 5. (7) Cic. de N. D. II, 36.

Apparet igitur Stoicos consentire cum Homero aliisque poëtis, atque ipsum Jovem fato subjectum fuisse. Homines quidem et dii creati reguntur fato, si quidem fatum est lex naturae, qua omnia gubernantur. Deus vero summus ipse hanc legem sive fatum huic mundo indidit, atque [illegible] tamen Deus sequitur fatum; [illegible] nunquam eum poenitet consilii sui, sed in decretis permanet suis, quam Stoicorum sententiam expressit [illegible] Lucanus, (1)

Sive parens rerum, quum primum informia regna,
Materiamque rudem, *flamma cedente*, recepit,
Finxit in aeternum causas, qua cuncta coercet,
Se quoque lege tenens, et secula jussa ferentem
Fatorum immoto *descripsit* limite mundum.

Ex hoc attributo aliud aptum est, Dei immutabilitas. Neque enim vel virium quidquam suarum amittit, nec auget eas novo incremento, quippe qui sit summo praestantiae gradu, neque etiam consilium suum mutat. Ipsius mundi mutationes e fato ac decreto summi Dei proficiscuntur, neque adeo Deus mutat opus suum, sed corporum vim movendi alit, ut possint agere atque [illegible]

(1) Phars. II, 7 sqq.; quo loco *flamma cedente* accipiendum est pro: quum flamma, seu ignis ille animalis adhuc abesset a rudi materia, vel quum exusto mundo Deus ad novum condendum mundum accederet. Versu ultimo Bentlejus pro [illegible] haud male correxit *descripsit*. De his ipsis aliis notata Wytt. ad Plut. de S. N. V. p. 107.

dum ipsius legem motus conservare suae. Haec est sententia Manilii [1]:

> Motus alit, non mutat opus. Sic omnia toto
> Dispensata manent mundo, dominumque sequuntur.

Sed haec actio Dei, qua curat et providet, ut omnia secundum decreta sua fiant, vocatur Providentia, πρόνοια, vocabulo a Stoicis primum hac significatione usurpato, quum antea de humana prudentia diceretur. In hac Deo asserenda longam orationem consumsit Balbus [2]. Exstat Senecae aureus libellus de Providentia, quo eandem hujus loci distributionem significat, tum praesertim illud ostendit, quomodo fiat, haud obstante providentia, ut bonis male et malis nonnumquam bene sit. Docet revera non esse malum in mundo, videlicet omnia, quae sunt, servire divinae voluntati, ad ejusque consilium efficiendum conspirare: quare, si male sit bonis, hoc proprie non esse malum, sed ejusmodi, ut plura inde bona ad eos veniant. Malos autem frui bonis, non quia mali sunt, sed bonorum hominum caussa et occasione [3].

Neque tamen mali poenas fugiunt malefactorum. Ita enim natura comparatum est, ut e vitiis incommoda, e virtutibus commoda consequantur. Praeterea etiam hac in vita et post hanc vi-

---

(1) Astr. II, 80 sq. (2) Cic. de N. D. II, 30—67. (3) Sen. de Benef. IV, 28.

tam suae improbis animis poenae constitutae sunt; in hac quidem vita, quum scelerum conscientia excruciantur (¹); post mortem vero poena eos manet, non ejusmodi quidem, qualis a poëtis fingitur et a superstitiosa plebe creditur, Cerberus et Acheron et Furiae; sed infirmitas, et quidem quasi morbus, ut cito pereant, nec munere perennitatis fruantur: de quo supra.

Sed quamquam poenae infliguntur improbis, non tamen eo consilio ducitur Deus, ut illis male faciat et suam vindictam expleat, quod quidem procul abest a summi numinis benignitate; sed ut eos quasi admoneat atque avocet a vitiis, si forte ad meliorem frugem sese redigi patiantur. Neque enim sponte quisquam est malus, sed errore et animi morbo a recta vita deducitur. Itaque magis misericordia et auxilio quam ira et poenis digni sunt, et Deus eas medicinae loco malis adhibet; neque Dei *justitia vindicans* seu δίκη aliud quid est nisi medicina animi, ἰατρεία τῆς ψυχῆς. Quam sententiam, a Platone sumtam, constanter Stoici tenuerunt.

Sed Dei providentia non tantum mundum universe, sed singulatim quasque res curat; seu, ut vulgo loquuntur, non tantum genera, sed individua cura sua complectitur: „Nec vero", ut ait Cicero (²), „ita refellendum est, ut, si segetibus aut vinetis cujus-

---

(¹) Cic. de Legg. I, 14, Sen. Ep. 105 et praeclare Juvenalis, Sat. XIII, 192—199. (²) De N. D. II, 66.

piam tempestas nocuerit, aut si quid e vitae commodis casus abstulerit, eum, cui quid horum acciderit, aut invisum Deo aut neglectum a Deo judicemus. *Magna dii curant, parva negligunt.* Magnis autem viris prospere semper eveniunt omnes res." Illud vero quod ultima hujus loci parte dicitur a Balbo, non ita accipiendum est, ac si negligerent dii parva, sed ut in rebus parvis ac negligendis nonnumquam aliquid incommodi accidat, quod dii avertere soleant a magnis rebus, quodque ad magnarum rerum conservationem pertineat. Nam Stoici omnino contendebant, nihil, ne minima quidem, ignorari aut negligi a diis; quam in rem Chrysippi et Epicteti disertas sententias protulit Gatakerus (¹). Quare si quae ejusmodi a Stoicis dicuntur, quae eorum doctrinae repugnent, haec ita sunt accipienda, ut non e sua ipsi persona et sententia, sed e populari opinione ea dixerint. Veluti hoc loco Balbus Stoicorum sententiam Euripidis dicto apud Plutarchum (²) obvio adumbrat:

Ζεὺς γὰρ τὰ μὲν τοιαῦτα φροντίζει βροτῶν
Τὰ μικρὰ δ' ἄλλοις δαίμοσι παρεὶς ἐᾷ.

Quae sic vertit Grotius:

Namque id genus res Jupiter mortalium
Curat, minora ceteris linquit diis.

(¹) Ad M. Antonin. VII, § [illegible]

(²) De Aud. Poët. c. 5, p. [illegible]

Ejusdem tragici aliud dictum exstat apud Plutarchum (¹):

Τῶν ἄγαν γὰρ ἅπτεται Θεός,
τὰ μικρὰ δ' εἰς τύχην ἀφεὶς ἐᾷ.

Quod idem Grotius ita reddit:

Res enim summas Deus
Tractat, minores hic, quas sors fert, sinit.

Porro de certis malefactorum poenis laudare solebant Euripidis dictum quod cum alii memorarunt, tum Sextus Empiricus (²), ubi ait poeta, malos puniri, ὅταν σχολὴν ἄγουσα τυγχάνῃ δίκη, quum otio nacta sit divina justitia; unde nata videntur Academicorum et Epicureorum in Stoicos dicteria, quum iis objicerent providentiam adeo esse occupatam, ut multa malefacta negligere cogeretur (³).

Gravis autem ac difficilis erat disputatio de origine mali. Hujus igitur originem neque a Deo repetebant, quippe qui esset natura beneficus, neque a materia, ut Platonici, quippe quae natura sua iners esset nec ulla vi et facultate valeret; sed a necessitate naturae, quum bonum sine malo esse nequeat. Itaque Deus, quum conderet mundum, proprie quidem nihil nisi bonum spectavit, sed malum secutum est necessario, sicuti Plato

---

(¹) Praec. Pol. p. 811 D. (²) Adv. Gramm. I, § 274. (³) Eodem sensu Juvenalis Sat. XIII, v. 190 sqq. Vide not. Wyttenb. ad Plut. de S. N. V. p. 30.

dixit in Phaedone, dolorem et voluptatem ex eodem vertice suspensa esse, ut, qui unum haberet, necessario alterum quoque traheret. Chrysippi de hoc argumento disputationem prodit Aulus Gellius (¹), cujus ratio videtur sumta esse a Theophrasto, qui eam antea proposuisset et in hanc rem laudaverat Euripidis dictum, Stoicis quoque frequentatum:

> Οὐκ ἂν γένοιτο χωρὶς ἐσθλὰ καὶ κακά,
> Ἀλλ' ἔςι τις σύγκρασις, ὥς' ἔχειν καλῶς (²).

Providentiae pars cernitur quoque in divinatione, id est in rerum futurarum praesensione, cujus complures rationes hominum generi largitus est Deus, veluti oracula, extispicia, avium cantus et volatus. Horum argumenta e Stoicorum disciplina exponit Quintus Cicero, libro primo de Divinatione, atque libro secundo confutat Marcus.

Sed praeter unum et summum Deum sunt daemones, iique tam boni quam mali, quum unusquisque homo suum habet daemonem custodem. Ceterum vulgarem opinionem, plures esse deos, ex hominum errore profectam dicebant; cujus erroris caussas aperit Balbus (³). His fabulis philosophus adhibere de-

(¹) N. A. VI, 1. (²) Cfr. Plut. de Aud. Poet. p. 25 C et Mer. Casaubonus ad M. Ant. VI, § 48. (³) Cic. de N. D. II, 23, 24; quo loco verba: „Ex quo illud Terentii: Sine Cerere et Libero friget Venus," tanquam spuria vel annotatoris cujusdam delenda putem.

bet allegoricam interpretationem, qua revocentur ad naturae rationem; de quo interpretationis genere et supra passim monuimus, et consulendi sunt Heraclides de Allegoriis Homeri, et Phurnutus de Natura Deorum in Galei opusculis physicis [1].

§ 3. *De Ethice.*

Venimus ad tertiam philosophiae partem, quae est de vita et moribus. Haec, quamquam difficilem habet explicationem propter doctrinae subtilitatem, tamen ad eam praestantiam perfectionemque exculta atque descripta est, ut, post Socratem et Platonem, ex omnibus philosophis soli Stoici operae pretium in hac parte fecisse eamque eo explicuisse modo videantur, qui et hominis excellentiae et philosophiae auctoritati, et virtutis dignitati respondeat. Virtutem enim informant tanquam sublimi ac coelesti in arce collocatam, ad quam qui pervenerit summo bono potiatur, neque

[1] Cf. Cic. de N. D. II, 24. De Stoicorum sententia de divina natura videantur Joh. Mich. Kern, Stoicorum dogma de Deo, Gott. 1761: le Batteux, idées des Stoïciens sur la nature de Dieu et du Destin, in opere: Mémoires de l'Académie des inscriptions et des belles-lettres, tom. XXXII, p. 100: Mich. Heinr. Reinhard, Programma de Stoicorum verbo Deo, Torgau, 1737.

quidquam ad beatam vitam requirit. Neque hi tantum extendunt virtutis praestantiam atque magnitudinem, sed viam ipsam, quae ad eam ducat, monstrant, eamque, quamvis arduam atque difficilem, planiorem facilioremque reddere conantur, viresque animumque addere student mortalibus, ut illam virtutis altitudinem enitantur. Itaque docent bona malaque e vero aestimare, vanas hominum opiniones contemnere, nihil timere nec dolere, nulli rei servire, quae non ad virtutem ducat, non ab externis fortunae casibus pendere, contra animum in eam asserere libertatem, ad quam factus sit a parente atque auctore Deo, hunc sequi, huic similem fieri. Itaque fuerunt, qui contenderent, moralem doctrinam, quae est in libris Senecae, Epicteti, Antonini, non nisi e libris sacris Novi Testamenti fluxisse, eosque adeo viros clam Christianam religionem coluisse. Qui quidem homines quantum valeant acumine aut historiae cognitione, cum ex aliis argumentis, tum ex hoc uno abunde intelligere licet, quod non attenderunt Stoicos veteres, quos supra memoravimus, ante Christum natum exstitisse, atque ex illis veteribus, nunc quidem deperditis, recentiores qui ad nostram pervenerunt aetatem, omnia sua hausisse.

Videamus primum de loci divisione. Triplex fuit apud Stoicos philosophiae moralis partitio. Prima est a Chrysippo profecta et ab Archedemo, Apollodoro, Diogene, Antipatro et

[illegible] apud [illegible]
distribuitur [illegible] capita [illegible] primum, de appetitione,
περὶ ὁρμῆς: secundum, de bonis et malis: tertium,
de affectibus [illegible] quartum, de virtute:
quintum, de fine seu summo bono, περὶ τέλους:
sextum, de rerum aestimatione, περὶ τῆς πρώτης ἀξίας: septimum, de actionibus: octavum, de officiis: nonum, de adhortationibus et dehortationibus (¹).

Altera divisio est tripartita: prima pars est de aestimatione rerum: secunda de impetu et appetitione, περὶ ὁρμῆς καὶ ὀρέξεως: tertia de actionibus (²).

Tertia divisio est bipartita, a Cicerone proposita (³), profecta ut videtur a Panaetio, neque potius ad locum de officiis quam ad universam philosophiam moralem referenda. Hac divisione universa philosophia practica in duas distribuitur partes, philosophiam practicam universalem, quae fontes et prima principia obligationis, virtutis et vitii, justi et injusti, officiorumque exponit; et jus naturae universale, quo ipsa officia, quidque sit quovis loco et tempore agendum

(¹) Haec distributio exstat apud D. L., VII, § 84. (²) Haec divisio sumta videtur ex Eudoro Alexandrino, Academico, laudato in Stobaei Ecl. Eth. p. 48 ed. Heer., qui in hac parte Stoicos secutus videtur. Cf. Sen. Ep. 89. (³) De Off. I, 3, [illegible]

explicatur. Nos in exponenda Stoicorum doctrina [illegible] divisionibus presse [illegible]; sed ita de omnibus locis dicet, ut ordinem tamen harum divisionum, qui in omnibus unus idemque est, non negligamus.

Primum quidem cognoscendi sunt fontes, ex quibus omne ius atque officium, omne bonum et aequum manat. Qui quidem fontes duo omnino sunt: alter in humana positus natura; alter in natura universi et divina voluntate. Videamus primum de homine.

Primus mentis humanae motus continetur ὁρμῇ, appetitu et aversatione: illa efficit ut omne illud appetamus, quod ad conservandum nostrum statum pertinet; haec ut refugiamus quidquid ad destruendum illum statum valet (1). Est igitur principium iuris naturae amor sui, cuique animanti ingeneratus, quem quidem amorem ita explere studet animans, ut se ipsum conservet, et hanc conservationem si consequitur animans, percipit voluptatem. Voluptas igitur non primum est quod appetitur, sed oritur demum e possessione eius rei quae prima appetitur: quocirca Stoicis voluptas erat aliquid ἐπιγεννηματικόν, quod Cicero (2) et Seneca (3) latine reddiderunt accessio vel *consequens*: a qua tamen sententia recessit

---

(1) Hoc exponitur a Catone apud Ciceronem, de Fin. III, 5, qui idem profert e Panaetii doctrina, de Off. I, 4.
(2) De Fin. III, 9. (3) De Vit. beat. c. 9.

[illegible] Atque hac ex parte Stoici [illegible]bant etiam a Platone et Aristotele, dissentiebant ab Aristippo et Epicuro; qui voluptatem omnium quae appeterentur primam ponebant. Ex hoc amoris principio oritur alia item ὁρμή, appetitus conjunctionis procreandi caussa.

Sed duo illa, quae memoravimus, homini cum brutis sunt communia. Alia porro sunt itidem a natura ipsa animantibus ingenerata ὁρμῆς genera; sed ea vel non omnibus brutis communia, vel soli homini propria et praecipua. Est igitur hoc hominis idque quibusdam item brutis commune, ut se ad sui similes adjungat eorumque societatem appetat. Sed in homine hoc aliter meliusque fit quam in brutis, habent enim τὸν λόγον, rationem, tanquam artificem et gubernatorem τῆς ὁρμῆς. Porro homo praecipuum hoc habet, ut scientiae amor ei a natura inditus sit, et rerum scientiam propter se ipsam appetat. Hoc ait Cato etiam in puerulis cerni, propterea artes atque disciplinas a nobis amari. Latius hanc partem exponit Cicero (²), qui deinde aliud addit principium juris sive naturalem hominis appetitum, scilicet amorem libertatis; ex quo principio in primis ducuntur Stoicorum de sapiente praecepta, ita ut ne cogitari quidem sapiens possit, nisi liber sit.

(¹) Cf. Sext. Emp. adv. Eth. XI, § 73 ed. Fabr., quem laudat Lyndenus in Panaetio, p. 76. (²) De Off. I, 4.

Harum rerum appetitio dicitur ὁρμὴ et aversatio contrariarum ἀφορμή. Sed utraque est tam in animantibus rationalibus quam in brutis, unde in hac parte est vel εὔλογος, vel ἄλογος; ea vero ὁρμὴ et ἀφορμή, quae homini est propria, ὄρεξις et ἔκκλισις dicitur, quippe quae in singularum rerum electione vel rejectione cernatur, nec sine affectu et vehementiore animi commotione fiat. Haec esse videtur differentia inter Stoicorum ὁρμὴν et ὄρεξιν, si quidem ea sequimur quae a Salmasio (¹) et Heynio ad Epictetum (²) tradita sunt.

Ceterum ea, quae hucusque commemoravimus,

(¹) p. 25, 45, 50 seqq. (²) Exc. I, 1, II, 2. Stobaei verba, in Ecl. Eth. p. 160 in fine, 162 initio, Tiedemannus, Syst. der Stoïsch. Phil. Th. III, S. 8, male interpretatus esse mihi videtur, quasi ἡ ὁρμὴ sit vel rationalis vel irrationalis; quum a Stoicis duntaxat, ut supra monuimus, duplici modo accipiatur, vel de animalibus ratione praeditis vel de brutis, omniaque animalia quidem ὁρμὴν habeant, qua distinguuntur a plantis et inanimis corporibus; homo vero, quia ratione est praeditus, aliter videatur ὁρμᾶσθαι quam cetera animalia. In homine enim, ut e Chrysippi libro περὶ νόμου refert Plutarchus, de Rep. Stoic. p. 1037 F, ἡ ὁρμὴ est λόγος προςτακτικὸς αὐτῷ τοῦ ποιεῖν; quo loco ὁ λόγος προςτακτικὸς non, ut Tiedemanno videtur, est ratio hominis quae ipsi imperat ut aliquid agat, sed est caussa quaedam spontanea, qua homines sponte ad faciendum moventur. Cf. Uptonus in indice ad Arrianum ad Epictetum in vocibus ὁρμή, ἀφορμή, ὄρεξις, ἔκκλισις.

in quae hominis appetitio primum incidit, conservatio status, sanitatis, membrorum, vitae, societatis, scientiae, libertatis; hae igitur res a Stoicis τὰ πρῶτα τῆς φύσεως, prima naturae, dicuntur. Ab his profectus hominis animus usu rationis paulatim venit ad decori atque honesti sensum ac judicium, ad eaque se vehementer adjungit aut adjungere debet, ita ut prae honesto et decoro jam illa prima naturae nihilo aestimemus. Atque in hoc decoro et honesto posita est virtus, summum bonum et finis omnium actionum ultimus, quae definitur *consensio*, ὁμολογία, *consentienter naturae vivere*, διάθεσις ὁμολογουμένη τῆς ψυχῆς.

Itaque animus se a sensibus ad rationem, a primis naturae ad virtutem convertit, quam progressionem Cato explicat apud Ciceronem (1). Nihil igitur est bonum praeter virtutem, nihil malum praeter vitium; reliqua omnia quae ad τὰ πρῶτα τῆς φύσεως pertinent, neque bona sunt neque mala. Eandem progressionem ab initiis naturae ad virtutem e Tauri Stoici philosophi schola exponit Gellius (2); eandem rationem sequitur ipse Cicero (3), quum ostendit quomodo animus pulchritudinis notionem a rebus corporeis ad res intelligibiles et divinas transferat.

Alter fons juris positus est in divina providentia, et fine ad quem illa hominem creavit. Quem

(1) De Fin. III, 6. (2) N. A. XII, 5. (3) De Off. I, 4.

fontem eleganter explicat Cicero de Legibus (1); cujus disputationis haec est summa: universam naturam regi divina providentia. Hominem praeter cetera animantia egregiis mentis corporisque facultatibus instructum, et praeclara conditione generatum esse a supremo Deo. Rationem enim ab eo accepit, qua nihil est in tota natura divinius; quippe quae, quum adolevit et ad maturitatem perfectionemque pervenit, rite nominatur sapientia. Et prima est homini cum Deo societas rationis; hinc homines et dii eadem lege continentur, suntque cives ejusdem civitatis et iisdem imperiis parent. Etenim dii hominesque parent huic coelesti descriptioni mentique divinae et praepotenti Deo, ut jam universus hic mundus una civitas communis deorum atque hominum esse videatur (2). Porro homo ad honesti et decori studium natus est, et exempli instar Deus ei exposuit totius mundi ornatum, quem imitari et exprimere actionibus debet (1). Ipse finis sapientiae atque ipsa virtus est ἕπεσθαι τῷ θεῷ, *Deum sequi*. Itaque recte et e vero Catoni hoc tribuit Labienus, quum eum apud Lucanum (2) ita alloquitur:

(1) I. 7—14. (2) Cf. Dio Chrysost. p. 444 A, 446 B, 448 A. Stoicorum sententia de civitate mundi ex Aristotelis metaphysica doctrina orta videtur. (1) Cic. de N. D. II, 14. Cf. Davis. ad h. l. [illegible] S. N. Vol. II. p. 29. (2) Phars. IX. 554. sqq.

Nam cui crediderim superos arcana daturos
Dicturosque magis quam sancto vera Catoni?
Certe vita tibi semper directa supernas
Ad leges, sequerisque Deum.

Porro ita homines a Deo facti sunt, ut una inter ipsos et par vivendi consuetudo et ratio intercedat, et omnes inter se naturali quadam indulgentia, tum etiam societate juris contineantur. Atque hoc erat quod Zeno in libris de re publica spectaverat, ut una omnium hominum societas ac civitas esset.

Sed omnis appetitus et aversatio exsistit e viso et assensione: nam objecta re aliqua, quae vel ad conservandum statum vel ad aliud genus eorum, quae prima naturae sunt, pertinet, animus dijudicat, utrum appetenda sit necne; quumque judicavit, eam in rebus expetendis censendam esse, tum demum eam appetit. Jam quum assensio, συγκατάθεσις, in cujusque sit potestate, efficitur voluntatem esse liberam neque unquam cogi posse. Hoc et supra in physice expositum, in ethice novis firmatur rationibus. Nisi enim voluntati libertas vindicetur, non locum esse sapientiae ac beatae vitae probe intelligebant Stoici; nam quemadmodum cogi non possumus ut verum pro falso habeamus; ita neque cogi possumus ut placeat nobis illud quod displicet; judicium igitur nostrum non externa vi, sed superveniente alio, certioreque judicio mutatur; etsi, proposita mortis poena, aliquis a re agenda avertitur, non cogitur; non externa vi movetur;

sed libere egit, novo judicio vetus cessit. Porro, quum Deus tam liberaliter exornaverit hominis mentem, quae ipsa est pars divinae mentis; ut eam ratione instruxerit et societate [illegible] cum reliquis diis conjunxerit; quid est quod dubitemus eam libertate valere; quum a recto rationis usu omnis externa vis abhorreat; tametsi secundum Stoicos vera libertas non nisi sapientibus et liberatis a corporum vinculo obtingit ([1]).

Explicitis juris fontibus, sequitur ut de rebus actionibusque dicatur. Res actionesque omnes sunt vel bonae, vel malae vel indifferentes. Bonum non uno modo definitur. Pervulgata autem definitio est, bonum esse, quod utilitatem, malum quod damnum afferat. At vero utilitatem afferre significabant movere vel tenere secundum virtutem; contra damnum afferre: movere vel tenere secundum vitium. Alia definitio boni est talis: bonum, id est illud quod secundum naturam animalis rationalis perfectum est. Cum qua consentit definitio Diogenis Babylonii, quam probat Cato apud Ciceronem ([2]). Minime hoc loco negligendus est Seneca ([3]), qui quasi censuram agit variarum boni definitionum; nec praetereunda etiam Catonis definitio apud Ciceronem ([4]), unde apparet utile non esse ipsum bonum, sed effectum boni.

([1]) Cf. Seneca, Epp. 51, 65, 75, 80. ([2]) De Fin. III, 10. ([3]) Ep. 118. ([4]) De Fin. [illegible]

Posteaquam definivimus bonum, sequitur ut de ejus attributis videamus. E bono igitur exsistit utilitas, et quidem talis quae semper et ubique eadem manet, neque unquam varietate hominum, temporum, locorumque possit in damnum converti. Tale vero bonum non est nisi virtus; quae etsi ipsa propter se expetenda est, tamen utilitatem affert, praeterea gaudium, laetitiam et similes iis animi sensus parit.

Bonum igitur eique oppositum malum in solis his rebus inest, quae voluntati nostrae subjectae sunt, τὰ ἐφ' ἡμῖν; reliquae omnes res neque bonae sunt, neque malae, τὰ οὐκ ἐφ' ἡμῖν, veluti bona malave corporis valetudo, morbus, mors, similia. Quo magis illud quoque intelligitur, bonum malumve ejusque judicium non esse in sensibus corporis, sed in sola ratione positum (1). Bonum porro omne haec habet attributa, ut sit συμφέρον, conducens; δέον, opportunum; λυσιτελές, lucrum afferens; χρήσιμον, utile; εὔχρηστον, commodum; καλόν, honestum; ὠφέλιμον, emolumenta praestans; αἱρετόν, expetendum; δίκαιον, justum; quorum attributorum rationes reddit Diogenes Laertius (2).

Ex his τὸ καλὸν latissime patet. Huc Stoici omnem virtutem et felicitatem referebant, idque definiebant perfectum bonum, quod omnes naturae numeros complecteretur; qua de re hanc Stoi-

---

(1) Cic. Acad. I, 10, Sen. Ep. 66. (2) VII, § 98, 99.

eorum ratiunculam profert Cato apud Ciceronem (1): „Quod est bonum, omne laudabile est; quod autem laudabile est, omne honestum est; bonum igitur quod est, honestum est." Seneca (2) quid intersit inter bonum et honestum ita exponit: „Non potest bonum esse nisi cui aliquid honesti inest: et honestum utique bonum est."

Ut nihil est bonum nisi illud quod vel ipsum per se est honestum vel honestatis particeps; ita nihil est malum nisi quod vel per se est turpe vel turpitudinis particeps. Itaque e bonorum numero excluduntur omnia, quae non plane sunt in nostra potestate; ut vita, sanitas, honores, divitiae. E malorum quoque numero excluduntur ea quae non plane sunt in nostra potestate, ut mors, morbi corporis, ignominia, paupertas. Nihil est bonum nisi honestum, nec honestum aliud quid est, nisi summa consensio animi cum rerum natura, seu perfectum bonum quod omnes naturae numeros explet, estque in sola mentis ratione et potestate vel in animi virtute et arbitrio positum. Atque hac in parte Stoici dissentiebant a Platone et Academicis, qui in honestate quidem summum bonum ponebant, sed alia tamen duo bonorum genera relinquebant, corporis et externi status; quum Stoici omnia quae ad corpus et externum statum pertinerent, ad res indifferentes rejicerent.

(1) De Fin. III, 8. (2) Epist. 118.

Si igitur quaeritur, quid sit summum bonum seu finis, ad quem omnes actiones referri debeant; facilis erit responsio, non aliud esse nisi honestatem, quae quidem, ut saepe significavimus, in eo consistit, ut convenienter naturae vivamus, ejusque perfectionem assequamur. Cicero (1) e persona Catonis ita explicat vim honestatis, ut, licet primus naturae appetitus spectet sui conservationem, tamen, quam primum ad rationem pervenerit homo, notionem honesti acquirat in eoque summum bonum ponat. Dum alii item philosophi finem posuerant in eo ut secundum naturam viveretur, Stoici tamen hoc decretum accuratius definiebant (2): „Vivere cum intelligentia earum rerum, quae natura evenirent, eligentem ea, quae essent secundum naturam, rejicientemque contraria." Ceterum formulam illam consentienter naturae vivere non omnes Stoici uno modo interpretati sunt. Zeno quidem, auctor sententiae, interpretabatur secundum virtutem vivere; ipsam enim naturam nos ad virtutem ducere; eique assentiebant Cleanthes, Hecato, Posidonius, Chrysippus, qui tamen secundum virtutem vivere idem esse dicebat ac secundum experientiam eorum quae natura accidunt vivere: naturam autem Cleanthes intelligebat universi, Chrysippus et nostram et universi; uterque tamen in eo con-

(1) De Fin. III, 3, 6, 11, 15. (2) Cic. de Fin. II, 11. Eandem sententiam Cicero e persona Catonis proponit de Fin. III, 9.

sentit, ut providentiae et legi naturae obtemperemus easque sequamur; quam Chrysippeam sententiam probare videtur Cato (1), statuens neminem de bonis et malis vere judicare posse, nisi omnem cognoverit rationem naturae et vitae etiam deorum, et perspexerit utrum conveniat necne natura hominis cum universa; quae praecepta nituntur veterum effatis sapientium, qui jubent tempori parere, et sequi Deum, et se noscere, et nihil nimis. Diogenes Babylonius summum bonum statuebat: τὸ εὐλογιστεῖν ἐν τῇ τῶν κατὰ φύσιν ἐκλογῇ, recto judicio uti in eligendis rebus, quae sunt secundum naturam; quam definitionem Plutarchus (2) universe Stoicis tribuit. Antipater, Diogenis discipulus, summum bonum definiebat: ζῆν ἐκλεγομένους μὲν τὰ κατὰ φύσιν, ἀπολεγομένους δὲ τὰ παρὰ φύσιν διηνεκῶς. Panaetius: τὸ ζῆν κατὰ τὰς δεδομένας ἡμῖν ἐκ φύσεως ἀφορμάς. Herillus Carthaginiensis finem boni ponebat in scientia et cognitione rerum; duo sejuncta statuens ultima bonorum, alterum, τὸ τέλος, in quo scientiam et cognitionem, alterum, τὴν ὑποτελίδα, in quo eligenda et rejicienda collocabat (3). Archedemus autem non tam ex interiore Stoicorum doctrina quam e vulgari opinione statuebat, quum diceret finem bonorum positum esse in exsequendis omnibus officiis (4).

---

(1) Cic. de Fin. III, 22. (2) Adv. Stoic. p. 1072. (3) Cf. D. L. VII, § 165; ibique Aldobrandinus et Menagius. (4) Totam quaestionem de summo bono pertractavit Cicero

Quum summum bonum sit ultimus finis omnium actionum, cujus causa reliqua omnia vel appetantur vel fugiantur, quumque ultimus finis sit honestas; patet etiam hanc propter se ipsam esse expetendam, non propter voluptatem vel utilitatem. Honestas et virtus unum idemque sunt, ejusque quatuor sunt partes: prudentia, justitia, fortitudo, temperantia. Atque hae quatuor virtutes ipsae nos movent atque alliciunt sua natura, nulla vel voluptate vel utilitate proposita, nec quisquam est tam nefarius ac perditus, quin eas in aliis tamen hominibus amet ac miretur ([1]). Porro in animalibus brutis, in quibus quasi speculum quoddam est naturae, idem cernere licet, quae fortitudinis quadam similitudine ad mortem usque depugnant, nullo praemio utilitatis aut voluptatis proposito.

Porro honesti ea vis est, ut nec augeri nec minui possit, nec honestus vir alio honestior minusve honestus, nec honesta res alia minus magisve honesta esse possit ([2]).

Itaque nihil bonum est nisi virtus, nihil malum nisi vitium; reliqua omnia sunt ἀδιάφορα.

---

in libris de Finibus bonorum et malorum, quorum tertius Stoicorum continet sententiam e Catonis persona expositam; cui adjungi debent Diogenes Laërtius, VII, § 87—90, Stobaeus, Ecl. Eth. p. 132 sqq., Clemens Alexandrinus, Strom. p. 174 ed. Sylb., p. 482 ed. Pott. et Lactantius, Div. Inst. III, 7, 8. ([1]) Cic. de Fin. III, 11. ([2]) Cic. Parad. III, de Fin. III, 14, Sen. Ep. 74.

Virtus est effectrix summi boni et vitae beatae; vitium contraria parit. Indifferentia (¹) igitur sunt quae vulgo bona malaque vocantur, praeter virtutem et vitium, omnia; veluti vita, sanitas, voluptas, corporis forma et robur, divitiae, honor, nobilitas; et his contraria, mors, morbus, dolor, deformitas et infirmitas corporis, paupertas, ignominia, ignobilitas. Haec enim neque nocent, neque utilitatem afferunt per se ipsa; si quidem utilitatem afferre est κινεῖν ἢ ἴσχειν κατ' ἀρετήν, movere aut tenere secundum virtutem; nocere contra κινεῖν ἢ ἴσχειν κατὰ κακίαν, movere aut tenere secundum vitium (²). Porro bonum semper et ubique utilitatem affert, malum semper et ubique damnum affert; at vero res, quas nominavimus, modo utiles esse modo nocere possunt, prouti quis iis bene maleve utitur; ergo nec bonae sunt nec malae. Praeterea malum est, quod eum, qui illud habet, quoque malum reddit: bonum est, quod eum, qui illud habet, quoque bonum reddit; sed ea quae indifferentia vocavimus, nec malos nec bonos reddunt; quocirca neque bona sunt neque mala: „Quod malum est, nocet: quod nocet, deteriorem facit: dolor et paupertas deteriorem non faciunt;

(¹) Res ipsae sunt indifferentes, sed earum usus non est indifferens, Ipsum verbum οὐ διαφέρεσθαι, pro vulgari ἀδιαφορεῖν, a Stoicis usurpatur de rebus a quibus non in diversas partes jactamur, trahimur. (²) D. L. VII, § 102, 104, Stob. Ecl. Eth. p. 142 sqq.

ergo mala non sunt ([1])." — „Bonum e malo non fit: fiunt autem ex avaritia divitiae; ergo non sunt bonum ([2])." Porro nihil est de quo quis jure gloriari possit, nisi de virtute, neque quidquam indifferens gloriosum est ([3]). Sed nihil bonum nisi virtus, nec malum nisi vitium; res itaque quae indifferentes vocantur, nec bonae sunt nec malae. Deinde verum bonum non est nisi in iis qui virtute praediti sunt; sed divitiae, honores et alia ejusmodi sunt etiam in malis hominibus; non sunt igitur bona ([4]). Denique, quum malis saepius divitiae et alia commoda obtingant, bonis contraria; necesse est eum, qui haec non pro indifferentibus habet, providentiae curam mundique administrationem reprehendere, neque explere primum naturae praeceptum, quod est ἕπεσθαι τῷ θεῷ, *sequi Deum.* Itaque res fortuitae, id est omnes res praeter virtutem et vitium, sunt indifferentes.

Rebus externis et fortuitis rejectis, quippe quae a fortunae ludibrio pendent, illud solum, quod vere bonum malumve est, id est virtus et vitium, ad nos pertinet. Itaque quum virtus in nostra sit potestate, eademque sit effectrix vitae beatae; ipsa beata vita in nostra est potestate. Nam quicunque bona malaque ex re et vero aestimat, animumque comparavit ad assiduum virtutis studium,

---

([1]) Sen. Ep. 85. ([2]) Ep. 87. ([3]) Cic. de Fin. III, 8, Sen. Ep. 82. ([4]) Sen. Ep. 87, qui aliam quoque rationem e Posidonio refert. Cf. M. Ant. IV, § 39.

hic nihil timet, nihil dolet, nulli deteriori re servit, providentiae administrationem in omnibus rebus probat eique se subjicit, pectus contra omnes vitae casus munit, non aliunde pendet, ipse sibi et libertatis est vindex, et felicitatis auctor. Quibus hoc adjiciebant Stoici: qui hanc virtutem assecutus esset, illum ne Deo quidem beatitate cedere ([1]). Vitam enim beatam sua propriaque praestantia, non temporis diuturnitate censeri; neque beatiorem qui breve tempus, quam qui longum in beata vita transegisset ([2]).

Virtus definitur non una definitione. Dicitur ratio perfecta a Cicerone ([3]) et Seneca ([4]); διάθεσις ὁμολογουμένη ψυχῆς, inductio et status animi consentiens nimirum cum semetipso et cum rerum natura, a Diogene Laërtio ([5]) et Plutarcho ([6]).

([1]) Vidd. not. Wytt. ad Plut. Mor. p. 111 A. ([2]) Cic. de Fin. III, 7. Sen. Epp. 73 et 74. Ceterum gravissimum hunc philosophiae locum Cicero explicuit libro V Tusc. disp. et Seneca in libro de vita beata. ([3]) Acad. I, 10. ([4]) Ep. 76. ([5]) VII, § 89. ([6]) De Aud. Poët. p. 24 D. Cum his definitionibus conveniunt aliae apud Plutarchum: veluti εὐςαθὴς διάθεσις, Cons. ad uxor. p. 611 A.: τοῦ ἀλόγου τῆς ψυχῆς τάξις καὶ διακόσμησις, de Virt. Mor. p. 444 D: διάθεσις καὶ δύναμις γεγενημένη ὑπὸ λόγου, ibid. p. 441 C: ὀρθότης λόγου καὶ ἀκρότης λογικῆς φύσεως, de Aud. Poët. p. 24 D, ubi plura notavit Wyttenbachius: ὁμολογία τοῦ βίου, adv. Stoic. p. 1072 A. Stoicorum ratione aliis locis Cicero virtutem definit: animi habitum naturae modo, atque

Dividitur quoque virtus non uno modo. A Panaetio quidem in theoreticam et practicam; a Posidonio in quatuor illas, prudentiam, fortitudinem, justitiam, temperantiam; in plures etiam partes distribuitur a Chrysippo, Cleanthe et Antipatro. Apollophanes unam statuebat virtutem esse, prudentiam. Sed ex his maxime celebrata est quadruplex illa Posidonii distributio, jam ante facta a Platone, et postea frequentata et explicata a Cicerone (1).

Harum virtutum fons est in ipsa natura hominis, quae ad eas colendas et consequendas unumquemque incitat et obstringit; nam et ratione sumus praediti, qua intelligimus nos esse unius civitatis, scilicet mundi, cives et communibus legibus subjectos (2). Porro ipsa communio rationis omnes inter se conjungit homines, ut uno quasi cognationis vinculo contineantur (3). Animi quoque nostri tanquam partes sunt divinae naturae, ut adeo filii simus communis parentis Dei atque fratres nostrum invicem (4). Ratione propterea praediti sumus ut actiones ad certum finem eumque consentientem cum nostra rerumque natura componamus, animi affectus appetitionesque ejusdem rationis legibus coerceamus, animosque nostros ad modestiam atque temperantiam formemus (5).

---

rationi consentaneum, de Inv. II, 53: in se perfectam et ad summum perductam naturam, de Legg. I, 8. (1) De Off. I, 5. (2) Arrian. ad Epict. II, 10. (3) M. Ant. III, § 4. (4) Arrian. ad Epict. l. l. (5) II, 9.

Itaque filios summi parentis Dei oportet ejus voluntati obtemperare, atque adeo fortitudini et patientiae studere. Denique, quum fraterno vinculo omnes inter se conjuncti sint homines, jus cuilibet suum tribuendum est a nobis, atque adeo justitia colenda. Animus igitur ad fortitudinem erigendus, ut neque a dolore neque a voluptate vincatur, quo minus vel ipse suas facultates ad summam perfectionem et rerum scientiam excolat, vel in alios homines quantum potest beneficiorum conferat, vel divinam providentiam laudet, probet, sequatur. Quae si constanter a nobis fuerint observata, grata Deo fecerimus; sin minus, ingrata [1].

Ex quatuor his virtutibus prudentia est theoretica, reliquae tres, justitia, fortitudo et temperantia, sunt practicae. In quarum virtutum explicatione majorem partem libri primi de Officiis [2] Cicero consumsit. Sunt enim singulis aliae virtutes tanquam partes subjectae, quas enumerat Diogenes Laertius [3] et plenius Stobaeus [4]; qui quidem hoc recte monet, quod supra de virtute generatim animadvertimus, omnes quatuor virtutes in scientia esse positas.

Primum igitur de prudentia dicamus, quam Graeci φρόνησιν appellant. Haec definitur scientia eorum quae facienda et omittenda sunt apud

---

(1) M. Ant. II, § 16, III, § 4, 6, V, § 9. (2) c. 5—42. (3) VII, § 92, 93, 126. (4) Ecl. Eth. p. 106 sqq.

Stobaeum (¹); apud eundem et Diogenem Laërtium (²), scientia bonorum et malorum; et apud Plutarchum (³), e Zenonis sententia, moderatrix justitiae, temperantiae et fortitudinis. Laërtius et tanquam partes subjicit *σύνεσιν*, intelligentiam, et *εὐβουλίαν*, consilium: plenius Stobaeus *εὐβουλίαν*, consilium; *εὐλογιςίαν*, perspicacitatem; *ἀγχινοίαν*, sollertiam; *νουνεχείαν*, intelligentiam; *εὐμηχανίαν*, calliditatem. Cicero (⁴) fere cum Laërtio consentire videtur, quum ait: „Omnis cogitatio motusque animi aut in consiliis capiendis de rebus honestis et pertinentibus ad bene beateque vivendum, aut in studiis scientiae cognitionisque versatur."

Justitia, *δικαιοσύνη*, definitur scientia cuilibet homini illud tribuendi, quo dignus est. Ejus partes sunt: *εὐσέβεια*, pietas erga deos; *χρηςότης*, probitas; *εὐκοινωνησία*, aequitas in consuetudine; *εὐσυναλλαξία*, aequitas in contractibus ineundis. Cicero hujus virtutis universe duas facit partes, eam, quae proprie justitia dicitur (⁵), alteram beneficentiam seu liberalitatem (⁶).

Fortitudo (⁷), *ἀνδρεία*, definitur scientia eorum quae timenda vel non timenda sunt. Ejus partes feruntur hae: *θαῤῥαλεότης*, confidentia; *καρτερία*,

(¹) p. 102. (²) VII, § 92. (³) De Virt. Mor. p. 441 A (⁴) De Off. I, 6, ubi etiam vim prudentiae explicat. (⁵) De Off. I, c. 7–14. (⁶) l. c. 14–18. (⁷) Quam explicat Cicero, l.l. c. 19–27.

perseverantia; μεγαλοψυχία, animi magnitudo, scilicet in superandis et contemnendis iis, quae solent tam probis quam improbis accidere; εὐψυχία, aequanimitas; φιλοπονία, industria et labor. Secundum aliorum distributionem fortitudo partes habet duas, quarum altera versatur in agendo, in efficiendis magnis rebus et contemnendis periculis, quae proprie dicitur fortitudo: altera in patiendo, tolerando labore, dolore aliisque incommodis, quae patientia vocatur, quam bipartitam distributionem sequitur Cicero (1).

Temperantia, σωφροσύνη, apud Stobaeum (2) dicitur scientia rerum bonarum, malarum et indifferentium; cui hoc additur, quod necesse est ad definitionis absolutionem, eam versari in appetitionibus hominum. Ejus partes ibidem recensentur: εὐταξία, ordinis studium; κοσμιότης, decorum; αἰδημοσύνη, verecundia; ἐγκρατεία, continentia. Ita quidem Stobaeus; sed Diogenes Laërtius (3) duas tantum ejus facit partes, εὐταξίαν et κοσμιότητα. Vim ejus et naturam aperit Cicero (4), quum ait in ea cerni verecundiam et quasi quendam ornatum vitae, temperantiam, modestiam omnemque sedationem perturbationum animi et rerum modum. Et videtur in descriptione hujus virtutis cum Laërtio convenire;

---

(1) c. 20, ubi etiam vim fortitudinis aperit. (2) l.l. (3) VII, § 126. (4) De Off. I, 27.

quippe quum duabus eam partibus constare censeat, quarum prior est decorum, τὸ πρέπον; quod cum εὐταξίᾳ fere consentit: posterior εὐταξία ([1]). Decorum secundum Ciceronem ([2]) duplex est: generale, quod consentaneum est hominis excellentiae, quatenus natura ejus a reliquis animantibus differat, quod quidem in universa honestate versatur: peculiare, quo haec quarta pars virtutis continetur, quod quidem definitur moderatio et temperantia cum specie quadam liberali. Atque, ut poëtae censent decorum ex ejus persona qui loquens agensve inducitur, ita hominis decorum ex ipsius persona aestimandum est. Nam ipsa natura prae reliquis animantibus nobis imposuit personam magna cum excellentia praestantiaque, ut adeo nobis datae sint partes constantiae, moderationis, temperantiae, verecundiae. Personas autem natura nobis imposuit plures: primam communem cum reliquis hominibus; secundam propriam unicuique; tertiam quam casus aliquis aut tempus imponit; quartam quam nobismetipsi judicio nostro accommodamus ([3]). Εὐταξία ([4]) est ordo rerum et op-

---

([1]) Garve ad librum primum Ciceronis de Officiis, p. 109, vocem εὐταξίαν germanice prima significatione per *Bescheidenheit*, et secunda per *Ordnung* reddidit. ([2]) De Off. I, 31, 34. ([3]) Cic. de Off. I, 28, 30, 32. ([4]) Verbum εὐτακτεῖν Heynius, ad Epict. c. 29, interpretatur: omnia ordine agere, disciplinae severitatem et parendi necessitatem obire; cui interpretationi subjicit locum Arriani, III, 24, ubi istud

portunitas temporum, et ordinis conservatio, quae, ut ait Cicero (¹), ita definitur a Stoicis, ut sit scientia earum rerum, quae agentur aut dicentur loco suo collocandarum: latine *modestia* vocatur, estque scientia opportunitatis idoneorum ad agendum temporum.

Virtutes uno et communi vinculo omnes sunt inter se connexae, ut qui secundum unam agat, is eodem tempore secundum omnes simul agat; quique unam habeat, is omnes simul habeat. Porro virtutis ea est vis ut vitam praestet beatam, quam adeo sine virtute nemo assequi possit (²). Itaque etiamsi virtutem voluptas animi et commodum sequitur, ipsa tamen tantum habet momentum ac pondus, ut per se sola et propter se ipsam expetenda sit. Praeterea in nostra est potestate, et unusquisque qui operam et studium in ea ponit eam consequi potest (³). Virtus igitur discendo, meditando exercendoque acquiritur, quum alii philosophi statuerant virtutem nec disci nec doceri posse; nam et experientia demonstrat e malis bonos fieri (⁴).

---

verbum hac quidem significatione occurrit, sed plane dissimili nexu. Quum vero Epictetus praecipiat, quomodo quis ad certamen Olympicum corporis robur augere debeat, videtur verbum εὐτακτεῖν hoc loco potius de libidinis et luxuriae continentia esse accipiendum. (¹) De Off. I, 40. (²) Lact. Div. Inst. III, 12. (³) Sen. de Benef. III, 18 et Ep. 41, M. Ant. VIII, 29. (⁴) D. L. VII, § 91. Virtutem doceri posse jam docuerunt Homerus, Plato et Antis-

Sequitur, ut de vitio dicatur, quem quidem locum brevitatis studio paucis complectamur. Nam quum virtuti contrarium sit vitium, tribuenda sunt vitio contraria eorum quae virtuti tribuuntur. Primum igitur esse vitium inde demonstrabant, quod virtus est; nam e Stoicorum decreto cuicumque rei est aliqua opposita, est autem virtus, ergo etiam vitium est. Inter virtutem ac vitium nihil est medium, neque sunt gradus vitiorum ac virtutum, ut alius alio magis minusve bonus malusve sit. Neque igitur progressio est a vitio ad virtutem, neque qui virtuti propior est factus, magis ea potitus est, quam qui longius ab ea distat: „Ut enim", inquit Cato apud Ciceronem (1), „qui demersi sunt in aqua, nihilo magis respirare possunt, si non longe absunt a summo, ut jam jamque possint emergere, quam si etiam tum essent in profundo: nec catulus ille, qui jam appropinquat, ut videat, plus cernit, quam is, qui modo est natus: item qui processit aliquantum ad virtutis aditum, nihilominus in miseria est, quam ille, qui nihil processit." Hoc est Stoicorum paradoxon, quod Cicero (2) e sua persona contra Catonem disputans refellit, et Plutarchus oppugnat (3).

thenes. Cff. vita Homeri, § 144, p. 357 ed. Gaisf., Plutarchus, ὅτι διδακτὸν ἡ ἀρετή, Stobaeus singulari sermone, an virtus doceri possit, incerti, ut videtur, auctoris, etsi vulgo Platoni inscribatur, et D. L. VI, § 10. (1) De Fin. III, 14. (2) IV, 23, 27 sq. (3) Adv. Stoic. p. 1063 A, B, et singulari libro de profectibus in virtute animadvertendis.

Porro ut virtutes, ita vitia sunt aequalia, et benefacta et malefacta sunt paria. Denique ut virtus est consensio cum natura, ita vitium dissensio a natura: atque, ut virtutis, ita vitii quatuor habent partes: ἀφροσύνην, dementiam; δειλίαν, timiditatem; ἀδικίαν, injustitiam; ἀκολασίαν, intemperantiam; quae sunt ignorantiae earum rerum, quarum virtutes sunt scientiae. Ceterum ut virtus propter se ipsam est expetenda, ita vitium propter se ipsum est fugiendum, quia nostrae repugnat naturae, etiamsi nulla vel damni vel doloris poena sequatur. Atque ut virtus sola sufficit ad beatam vitam, ita vitium solum sufficit ad miseram vitam seu ad summum malum.

Qui virtutis compos est dicitur sapiens, σοφός; expers ejus stultus, ἄφρων, vocatur. Omnes homines sunt vel sapientes vel stulti, nec inter hos medium est quoddam genus hominum. Sapiens omnibus virtutibus est praeditus, adeoque vita beata fruitur. Omnes igitur res recte vereque perspicit, non errat, non labitur, nihil perperam facit, sed recte omnia negotia peragit; nullo vitae casu conturbatur, quippe ad utramque fortunam animum paratum habens, ut nihil ei inopinatum accidere queat; nihil dolet, nihil extimescit, nihil miratur, nihil appetit praeter virtutem, nulla re externa opus habet, sua se involvens virtute fruitur tranquilla bonorum suorum conscientia, ut festive Horatius (1):

(1) Sat. II, 7, 83.

Sapiens, sibi qui imperiosus,
Quem neque pauperies neque mors neque vincula terrent,
Responsare cupidinibus, contemnere honores
Fortis, et in seipso totus teres atque rotundus.

Contraria omnia habet stultus: nihil quidquam recte perspicit et e vero aestimat, itaque vel gestiente libidine appetit et effertur, vel exanimatur timore; nihil recte, omnia perperam agit; non sibi constat in propositis, animus ejus diversis cupiditatibus distrahitur; nec praesentibus bene fruitur, nec ad futura praeparatum gerit pectus; nullus est in ejus vita consensus, modo huc modo illuc impellitur; denique stultitiae conscientia torquetur (1).

Hactenus de rebus ipsis exposuimus, quae generatim appetendae fugiendaeque sunt, nimirum de virtute ejusque partibus et attributis. Sequitur ut de appetitu, *περὶ ὁρμῆς*, péculiariter dicamus, quae pars est secunda philosophiae moralis, secundum Senecae (2) distributionem a nobis supra in exordio hujus paragraphi propositam. Ὁρμὴ igitur est vel *εὔλογος*, rationi obtemperans, vel *ἄλογος*, rationi contraria. Ex qua quidem divisione omnes reliquae appetitionum et aversationum, voluptatum, perturbationum formae ducuntur. Ceterum perturbationes sunt judicia ipsius rationis, atque in

(1) Cic. Tusc. III, 7, 8, V, 7, 8, de Fin. III, 9, Sen. Epp. 9, 88, 89, de vit. beat. c. 26, de Benef. IV, 26, 34, Stob. Ecl. Eth. p. 178 sq., M. Ant. IV, § 9, D. L. VII, § 121 sqq. (2) Ep. 89.

parte principali animi versantur. Quamquam de hac re dissentiebant Stoici ab Academicis et Peripateticis, qui affectibus peculiarem partem animi tribuebant, eamque ἀπὸ τοῦ λογικοῦ, seu a rationali et principali parte, distinguebant. Qua quidem in re consentientes Zeno et Chrysippus, tamen inter se discrepabant, ut hic affectus diceret esse κρίσεις τοῦ λογιστικοῦ, rationis judicia; ille non ipsas κρίσεις, sed quae ex iis oriretur animi elatio vel submissio. Posidonius vero, a Stoicis dissentiens, Platonem secutus, affectus in parte animi irrationali posuit ([1]). Sed caussa ex qua oritur affectus duplex est, sine quibus exsistere non potest affectus. Prima est falsa opinio de re, quam vel bonam vel malam putamus, ut eam vel appetamus vel aversemur ([2]). Neque etiam ipsae res per se nos movent, sed judicium opinioque de iis: veluti mortem alius vehementer extimescit, alius placide exspectat ac subit ([3]). Altera caussa est morbus, imbecillitas et intemperantia animi, quam nisi, tanquam materiam, nacta sit falsa opinio, vehementer moveri perturbarique non possumus ([4]).

Quod appetitur, sub specie boni appetitur; quodque rejicitur, sub specie mali rejicitur. E boni adeptione exsistit gratus animi sensus, e mali ingratus. Sed bonum malumque neque ap-

---

([1]) Galenus de dogm. Hipp. et Plat. V, p. 153 B. ([2]) Cic. de Fin. III, 11. ([3]) Tusc. IV, 7. ([4]) Acad. I, 11, Tusc. IV, 9, 10.

patitur, neque refugitur, neque percipitur eodem modo a sapientibus atque a stultis; unde appetituum, fugarumque ortum varietas. Tres eorum sunt boni, et sapienti conveniunt; quatuor sunt prava, et cadunt in stultos (¹). Voluntati hac in parte opponitur cupiditas, ἐπιθυμία, quae definitur ὄρεξις ἄλογος vel ὄρεξις ἀπειθὴς τῷ λόγῳ, appetitio rationi non obtemperans (²). Gratus igitur animi sensus, qui ex adeptione boni exsistit, in sapiente dicitur gaudium, χαρά, in stulto laetitia, ἡδονή. Gaudium definitur εὔλογος ἔπαρσις, elatio rationi consentanea; laetitia, ἄλογος ἔπαρσις (³). Sed ut bona appetimus, ita mala fugimus et aversamur, quae aversatio alia est in sapiente, alia in stulto. In sapiente dicitur εὐλάβεια, in stulto φόβος (⁴). Denique ut bonum assecuti laetamur, ita dolemus, quum in malum incidimus. Sed hic dolor tantum est in stultis, in sapientibus esse non potest, quia nec verum malum in eum cadit, nec opinatum malum eum movere potest. Dicitur vero hic dolor stultorum aegritudo. Itaque sunt quatuor affectiones malae, quae in stultis sunt quaeque dicuntur perturbationes: ἐπιθυμία, cupiditas vel libido; ἡδονή, laetitia gestiens; φόβος, metus; λύπη,

---

(¹) Rationem explicat Cicero, Tusc. IV, 6. (²) Cf. Davisius ad Ciceronis l.l. (³) D. L. VII, § 115, 116. (⁴) Cf. Cicero, l.l.

aegritudo. Tres sunt bonae affectiones, quae in sapientem cadunt: βούλησις, voluntas; εὐλάβεια, cautio; χαρά, gaudium; quarum hae εὐπάθειαι, constantiae, illae vero πάθη, perturbationes, vocantur (¹).

Quum perturbationes ex opinionibus oriantur, hinc vulgo earum definitio duci solet. Aegritudo definitur opinio recens mali praesentis, in quo demitti contrahique animo rectum esse videatur; laetitia, opinio recens boni praesentis, in quo efferri rectum esse videatur; metus, opinio impendentis mali, quod intolerabile esse videatur; libido, opinio venturi boni, quod sit ex usu jam praesens esse atque adesse (²). Addunt etiam definitioni ipsum effectum perturbationum, ut rem plena definitione circumscribant, qua et caussa et effectus ejus significetur (³). Chrysippus certe, ut e multis apparet vestigiis, animi affectus frequenter ex eorum effectibus et ad similitudinem affectionum corporis definiebat; atque hoc ipsum fecerat in loco de morbis animi, ut diserte prodit Cicero (⁴). Ceterum opinionem definiebant imbecillam assensionem. Sed videamus formas singulorum quatuor generum, quales

---

(¹) Cic. l.l. (²) Cic. Tusc. IV, 7, D. L. VII, § 111 et Stob. Ecl. Eth. p. 172 sq. (³) Cic. l.l.; quo loco cum Davisio corrigendum est: verum in illis etiam, quae efficiuntur perturbationibus. Ita facile Cicero absolvetur negligentiae crimine, quod ei movit Salmasius ad Simpl. p. 59 sq., eumque secutus Menagius ad D. L. VII, § 111. (⁴) Tusc. IV, 10.

a Cicerone (¹), Diogene Laërtio (²) et Stobaeo (³) exhibentur.

Aegritudinis igitur hae sunt formae. Invidia, φθόνος, aegritudo suscepta propter alterius res secundas, quae nihil noceant invidenti. Aemulatio, ζῆλος, aegritudo, si eo, quod concupieris, alius potiatur, ipse careas. Obtrectatio, ζηλοτυπία, aegritudo ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ipse concupieris. Misericordia, ἔλεος, aegritudo e miseria alterius, injuria laborantis. Angor, ἄχθος, aegritudo premens. Luctus, πένθος, aegritudo ex ejus, qui carus fuerit, interitu acerbo. Moeror, aegritudo flebilis. Aerumna, aegritudo laboriosa. Dolor, ὀδύνη, aegritudo crucians. Lamentatio, ὀλολυγμός, aegritudo cum ejulatu. Sollicitudo, ἀνία, aegritudo cum cogitatione. Molestia, ἐνόχλησις, aegritudo perdurans. Adflictatio, ἄση, aegritudo cum vexatione corporis. Desperatio, ἀποθυμία vel ἀπόνοια, aegritudo sine ulla exspectatione rerum meliorum. Haec Cicero, qui, quamquam plures enumerat formas quam Diogenes Laërtius et Stobaeus, quasdam tamen apud hos obvias omittit; cujusmodi est apud Diogenem Laërtium σύγχυσις, confusio, λύπη ἄλογος ἀποκναίουσα καὶ κωλύουσα τὰ παρόντα συνορᾷν, aegritudo macerans et prohibens statum suum repu-

(¹) Tusc. IV, 7 sqq. (²) VII, § 111 sqq. (³) Ecl. Eth. p. 174 sqq.

tare, et apud Stobaeum ἄχος, dolor vocem eripiens.

Metus has habet formas. Pigritia, ὄκνος, metus consequentis laboris. Pudor, αἰσχύνη, metus ignominiae. Terror, ἔκπληξις, metus ex opinione mali inopinati. Timor, δέος, metus mali appropinquantis. Pavor, ἀγωνία, metus mentem loco movens. Exanimatio, metus subsequens et quasi comes pavoris. Conturbatio, θόρυβος, metus excutiens cogitata. Formido, metus permanens. Hoc etiam loco est quaedam discrepantia Laërtii et Stobaei a Cicerone, et eorum inter se. Apud utrumque θόρυβος definitur metus cum incitatione vocis; praeterea apud Stobaeum hae sunt metûs formae: δεισιδαιμονία, superstitio, metus deorum et daemonum; δέος, metus rei gravis; δεῖμα, metus cum ratione conjunctus. Apud Ciceronem [1] quoque haud dubium est quin omissae sint definitiones pudoris et terroris, quum eos una hac descriptione complectatur: „Terrorem, metum concutientem, ex quo fit, ut pudorem rubor, terrorem pallor et tremor et dentium crepitus consequatur."

Voluptati hae subjiciuntur, tanquam generi, formae. Malevolentia, ἐπιχαιρεκακία, voluptas ex malo alterius, sine emolumento suo. Delectatio, κήλησις, voluptas suavitate auditus animum demulcens. Haec quum proprie de auribus dicatur, tamen ad reli-

---

(1) Tusc. IV, 8.

quos sensus transfertur; nam qualis haec aurium, talis quoque est visus, tactus, odoratus, saporis delectatio, quae omnes sunt unius generis ad deliniendum animum aptae voluptates. Jactatio, ὕβρις, dici potest voluptas gestiens et se efferens insolentius. Haec Cicero. Stobaeus vero tres tantum numerat species voluptatis; ἐπιχαιρεκακίαν, et duas a Cicerone praetermissas, ἀσμενισμόν, voluptatem ex inopinato bono, et γοητείαν, delinitionem seu incantationem, voluptatem per fraudem erroremque objectum oculis excitatam. Apud Diogenem Laërtium praeter ἐπιχαιρεκακίαν memorantur hae; τέρψις, oblectatio, quae est tanquam τρέψις et conversio animi ad remissionem, et διάχυσις, diffusio, diffluentia, quae est dissolutio virtutis.

Ad cupiditatem referuntur hae formae. Ira, ὀργή, libido puniendi ejus, qui videatur laesisse injuria. Excandescentia, θύμωσις, ira nascens et modo exsistens. Odium, μῖσος, ira inveterata, sicut a Cicerone definitur; a Laërtio vero cupiditas, qua cui male cupimus cum progressu et diuturnitate conjuncta. Inimicitia, ἔχθρα, μῆνις, ira ulciscendi tempus observans. Discordia, ira acerbior intimo animo et corde concepta; graece dicatur στάσις seu φιλονεικία. Indigentia, σπάνις, libido inexplebilis. Desiderium, πόθος, libido ejus qui nondum adsit videndi. Ceterum ne cui inanis et putida videatur diligentia, qua desiderium ab in-

digentia distinguebant, animadvertendum Ciceronem [1] hanc facere distinctionem: Desiderium esse libidinem earum rerum, quae dicuntur de quodam aut quibusdam; quae κατηγορήματα dialectici appellant; ut habere divitias, capere honores: indigentiam vero, rerum ipsarum, ut honorum, pecuniae. Nimirum haec distinguendi subtilitas eo redit, ut indigentia major sit desiderii gradus; nam apud Laërtium definitur cupiditas rei qua non potimur, sejuncta a re quam cupimus, frustraque ei adipiscendae intenta. Stobaeus cupiditatis duas facit species; ὀργήν, iram, et ἔρωτα, amorem. Irae subjicit θυμόν, iram incipientem; χόλον, iram intumescentem; μῆνιν, iram inveteratam; κότον, iram ulciscendi occasionem exspectantem; πικρίαν, iram confertim erumpentem. Amor definitur apud Diogenem Laërtium motus animi ad favendum alicui propter corporis formam; apud Stobaeum benevolentiae impetus pulchritudinis caussa motus, eique subjunguntur: πόθος, cupiditas absentis; ἵμερος, cupiditas consuetudinis absentis; φιληδονία, cupiditas voluptatis; φιλοπλουτία, divitiarum cupiditas; φιλοδοξία, gloriae cupiditas.

Ex affectibus oriuntur vitia, morbi, aegrotationes, vitiositas; in quorum explicatione, ab iis qui ethicen Stoicorum descripserunt, veluti Cicerone [2],

---

[1] Tusc. IV, 9. [2] Ibid. c. 10 sq.

Diogene Laërtio (¹) et Stobaeo (²), turbata, multum operae et subtilitatis consumserat Chrysippus; quocirca videamus an forte hunc locum digerere possimus: „Nam quum est concupita pecunia", ut ait Cicero (³), „nec adhibita continuo ratio, quasi quaedam Socratica medicina, quae sanet eam cupiditatem; permanat in venas, et inhaeret in visceribus illud malum, exsistitque morbus et aegrotatio, quae evelli inveterata non possunt; eique morbo nomen est avaritia." Hactenus egregie, sed quaeritur quomodo morbus ab aegrotatione differat. Cicero eas ait cogitatione magis quam re differre; ceterum e Chrysippi disciplina differentiam e corporis similitudine ostendere conatur (⁴). „Quo modo autem", inquit, „in corpore est morbus, est aegrotatio, est vitium; sic in animo. Morbum appellant totius corporis corruptionem: aegrotationem, morbum cum imbecillitate: vitium, quum partes corporis inter se dissident; ex quo pravitas membrorum, distortio, deformitas. Itaque illa duo, morbus et aegrotatio, ex totius valetudinis corporis conquassatione et perturbatione gignuntur: vitium autem, integra valetudine, ipsum ex se cernitur. Sed in animo tantummodo cogitatione possumus morbum ab aegrotatione sejungere. Vitiositas autem est habitus aut affectio in tota vita inconstans et a se ipsa dissentiens. Ita fit, ut in altera, corruptione opinionum mor-

---

(¹) VII, § 115. (²) Ecl. Eth. p. 182 sq. (³) c. 11. (⁴) c. 13.

bus efficiatur et aegrotatio, in altera, inconstantia et repugnantia." Apud Diogenem Laërtium (1) νόσημα definitur: οἴησις σφόδρα δοκοῦντος αἱρετοῦ, opinio vehementior de re appetenda; ἀῤῥώστημα vero νόσημα μετὰ ἀσθενείας, morbus cum imbecillitate conjunctus. Apud Stobaeum (2) νόσημα definitur: δόξα ἐπιθυμίας ἐῤῥυηκυῖα εἰς ἕξιν (3) καὶ

---

(1) l.l. (2) l.l. (3) Quum vocis ἕξεως usus summi sit momenti in Stoicorum doctrina, ejus significationem hic apponere non alienum duxi. Ἡ ἕξις praecipue apud Stoicos, quamvis etiam apud alios philosophos, significat habitum hominis naturalem seu proprium et a natura ei inditum, et dicitur tam de corporis natura, quam de animi facultatibus. Huic voci opponitur ἡ σχέσις, quae de habitu corporis et animi externo acquisito usurpatur, et refertur ad illas res quae extrinsecus homini adveniunt. Documento sit Simplicius ad Epictetum p. 61 B. Τὰς μὲν γὰρ σχέσεις ταῖς ἐπικτήτοις καταστάσεσι χαρακτηρίζεσθαι· τὰς δὲ ἕξεις ταῖς ἐξ ἑαυτῶν ἐνεργείαις. Similis interpretatio exstat apud Stobaeum, Ecl. Eth. p. 126, 128 ed. Heer. et Suidam in vocibus ἕξις et σχέσις. Quoad sensus corporis vox ἕξις apud Plut. de Plac. Phil. IV, 8, p. 899 D, jungitur cum τῇ δυνάμει, τῇ ἐνεργείᾳ καὶ τῇ φαντασίᾳ τῇ καταληπτικῇ, et quoad animi facultates, apud eundem de Virt. Mor. p. 443 D, distinguitur a τῇ δυνάμει et τῷ πάθει. Hanc quoque distinctionem tuetur Simplicius ad Epictetum p. 311: Ὥσπερ τὰ πεφθέντα σιτία τὴν ἕξιν τρέφει τοῦ σώματος, οὕτω καὶ οἱ πεφθέντες λόγοι τὴν ἕξιν τρέφουσι τῆς ψυχῆς, ἀφ' ἧς λοιπὸν ὡς ἀπὸ μονίμου ῥίζης οἱ καρποφόροι λόγοι προέρχονται. Diog. Laërt. VII, § 98, Stob. Ecl. Eth. p. 98, 100 et Plut.

ἐνεσκιῤῥωμένη, καθ' ἣν ὑπολαμβάνουσι τὰ μὴ αἱρετὰ σφόδρα αἱρετὰ εἶναι, opinio cupiditatis quae jam fluxit in habitum et in callum abiit seu radices egit, secundum quam opinionem ea quae expetenda non sunt, valde expetenda esse putant; veluti mulierositas, vinolentia, avaritia. Aegrotatio vero seu ἀῤῥώστημα ab eo definitur νόσημα μετ' ἀσθενείας σύμβαινον, morbus cum imbecillitate contingens. At vero Cicero (¹) primum quidem aegrotationem a morbo distinguit, quum ait: „E perturbationibus autem primum morbi conficiuntur, quae vocant illi (Stoici) νοσήματα, eaque, quae sunt eis morbis contraria; quae habent ad res certas vitiosam offensionem atque fastidium: deinde aegrotationes, quae appellantur a Stoicis ἀῤῥωστήματα, hisque item oppositae contrariae offensiones." Postea tamen (²) ἀῤῥώστημα eodem modo definit, quo apud Stobaeum definitur νόσημα. Tum ei subjicit ea vitia quae apud Stobaeum subjiciuntur morbis: „Aegrotationi autem talia quaedam subjecta sunt, avaritia, ambitio,

---

de absurd. Stoic. opin. p. 1058 B, voces διαθέσεις et ἕξεις ita distinguunt, ut illae sint virtutes, hae vero studia et disciplinae. Videatur V. Cl. Bake in Posidonio, p. 212 in notis. Τῇ ἕξει opponitur ἡ στέρησις, ut docet Simplicius, p. 100 B: Ἀντικεῖται τῇ ἀπὸ τοῦ ἔχειν λεγομένῃ ἕξει ἡ στέρησις. καὶ οὐ μόνον ποιοτήτων αἱ στερήσεις, ἀλλὰ καὶ ἐνεργειῶν.

(¹) c. 10. (²) c. 11.

mulierositas, pervicacia, liguritio, vinolentia, cuppedia, et si qua similia." Quare nos Diogenem Laërtium et Stobaeum secuti ita statuamus, morbum et aegrotationem gradu differre, et sicut genus a specie: genus est νόσημα, species ἀῤῥώστημα: omne ἀῤῥώστημα est νόσημα; non vero omne νόσημα ἀῤῥώστημα, sed tum demum quum conjunctum sit cum imbecillitate. Ceterum ut morbi aegrotationesque sunt appetitiones, ita conjunctae cum iis sunt aversationes rerum contrariarum; veluti si quis gulosus est, is tenuem et simplicem victum aversatur; si quis avaritia laborat, ut pecuniam appetit, ita pauperiem aversatur. Tales aversationes a Stoicis dicuntur προσκοπαί: Cicero (1), verbum verbo reddens, *offensiones* vocat.

Porro ut in corporibus alia ad alios morbos sunt procliviora, ita animorum eadem est ratio ad vitia. Proclivitas igitur est naturalis quaedam imbecillitas ad vitium, ut contra naturalis habitus ad virtutem dicitur facilitas. Graeci proclivitatem corporis vocant εὐεμπτωσίαν: proclivitatem animi εὐκαταφορίαν: facilitatem animi εὐφυΐαν (2). Denique ut corporis

---

(1) Tusc. IV, 10 et 11. (2) Εὐφυΐα est, tam apud Stoicos, quam apud ceteros Graecos, bona indoles vel naturalis quaedam bonitas cum ingenii perspicacia atque sollertia: est animi integritas, semper sibi constans, non subjecta fortunae casibus, ut iis vel augeatur vel minuatur, sive secunda fortuna magis valeat, quam adversa; ut ait Livius, Hist. XLV, c. 8: „cujus animum nec prospera flatu suo efferet, nec adversa infringet."

virtutes cernentur, sanitate, pulchritudine et robore; ita similes sunt virtutes animi, quas exponit Cicero (¹).

„Haec sunt quae de affectibus enucleate disputantur a Stoicis, quaeque propterea logica appellantur (²). Reliquae sunt in hoc loco tractando duae partes, quarum prima confutantur ii qui volunt affectus locum habere in sapientis animo, atque evincitur omnem a sapiente abesse debere affectum; altera parte traduntur praecepta liberandi sanandique ab affectibus animi. Quae quidem partes latius patent pro nostro consilio; ne tamen huic tractationi aliquid deesse videatur, summatim ea perstringamus.

Primum igitur tenendum est, affectus esse in nostra potestate, neque naturae necessitate, sed opinionis errore exsistere. Jam si affectuum initia et progressus consideremus, eos in nostra esse potestate reperiemus. Rem explicat Gellius (³) e deperdito Arriani libro; luculentus item de ea est nec praetereundus Senecae locus (⁴): „Ut scias, quemadmodum incipiant affectus, aut crescant, aut efferantur; est primus motus non voluntarius quasi praeparatio affectus, et quaedam comminatio. Alter cum voluntate non contumaci, tanquam oporteat me vindicari, quum laesus sim: aut oporteat hunc poenas dare, quum scelus fece-

---

(¹) c. 13. (²) Cic. Tusc. IV, 14. (³) N. A. XIX, 1. (⁴) De Ira II, 4.

nit. Tertius motus est jam impotens, qui non, si oportet, ulcisci vult, sed utique, qui rationem evicit. Primum illum animi ictum effugere ratione non possumus; sicut ne illa quidem, quae diximus accidere corporibus, ne nos oscitatio aliena sollicitet, ne oculi ad intentationem subitam digitorum comprimantur. Ista non potest ratio vincere: consuetudo fortasse, et assidua observatio extenuat. Alter ille motus, qui judicio nascitur, judicio tollitur." Ceterum, quomodo et sapiens et stultus in affectuum initiis versetur, quidque hac in parte inter utrumque intersit, ex eodem Arriano ostendit Gellius [1]. His igitur principiis nisi occurritur, paulatim augetur motus animi et ad majorem vim exsurgit; ut, veluti ab equo feroci et indomito eques, ita ab affectu animus ad illud impellatur, quod nolit, quodque malum esse judicet. Qualia sunt pleraque exempla apud poëtas, veluti Medeae apud Ovidium [2]:

> Excute virgineo conceptas pectore flammas,
> Si potes, infelix! Si possem, sanior essem;
> Sed trahit invictam nova vis; aliudque Cupido,
> Mens aliud suadet; video meliora, proboque,
> Deteriora sequor.

Sapiens ab omni affectu et perturbatione vacat [3]; est enim compos vitae beatae, eaque

(1) l. l. (2) Met. VII, 17 sqq. (3) Cic. Acad. II, 43; de Fin. III, 10. Lact. Div. Inst. VI, 14.

posita in perfecto rationis usu et vacuitate ab omni affectu, quae a Stoicis ἀπάθεια (¹) vocatur. Nam primum quidem sapiens fruitur mentis sanitate, quae posita est in tranquillitate et constantia. Omnes autem perturbationes sunt morbi mentis. In sapientem igitur non cadit perturbatio. Praeterea quum fortitudo pars sit virtutis, eamque possideat sapiens, aegritudine affici nequit. Nam qui fortis est, idem est fidens. Qui autem est fidens, is profecto non extimescit. Sed in quem cadit aegritudo, in eundem cadit timor; quae enim praesentia aegre ferimus, eadem impendentia et venientia timemus. Ita fit ut aegritudini fortitudo repugnet. At nemo sapiens est, nisi fortis; non cadit ergo in sapientem aegritudo. Haec est summa

---

(¹) Ἀπάθεια et ἀταραξία, perturbationum vacuitas et animi tranquillitas, quomodo differant, exposuit Uptonus ad Arrianum in indice. Ἀπάθειαν rejecit Panaetius, ut docet Gellius, N. A. XII, 5. De Stoicorum ἀπαθείᾳ cff. Meiners, verm. Schriften, II, § 3, über die Apathie der Stoïker, S. 130 ff.: Jo. Barth. Niemeier, diss. de Stoicorum ἀπαθείᾳ, exhibens eorum de affectibus doctrinam rationesque, quibus moti sapientem suum ἀπαθῆ esse voluerunt, Helmstadt, 1679: Jo. Beenius, ἀπάθεια sapientis Stoici, Hafniae, 1695: Jo. Henr. Fischerus, de Stoicis ἀπαθείας falso suspectis, Lipsiae, 1716: Mich. Frid. Quadius, disp. hist. phil. tritum illud Stoicorum παράδοξον περὶ τῆς ἀπαθείας expendens: Bern. Hausius et Joh. Morhardus, in epistola de Stoicorum affectuum vacuitate: Bertling, de Stoicorum sententia circa affectus, Gron. 1769.

Stoicae argumentationis apud Ciceronem (¹); cui et alia haec additur. Qui est fortis, idem est magni animi. Qui magni animi est, idem est invictus. At invictus res humanas despicit et infra se positas arbitratur. Sed nemo potest despicere res eas, propter quas aegritudine afficitur; non cadit igitur in sapientem aegritudo.

Sed prouti fortitudo, ita tres reliquae virtutes repugnant perturbationibus. Argumentum a prudentia ductum eodem loco profert Cicero; nam quemadmodum oculus conturbatus non est probe affectus ad fungendum suo munere, item reliquae partes totumque corpus, quum sit statu suo motum, deest officio suo et muneri; sic conturbatus animus non est aptus ad munus suum exsequendum. Munus autem animi est ratione bene uti, et sapientis animus ita semper affectus est, ut ratione optime utatur; numquam igitur est perturbatus. De reliquis duabus virtutibus idem ostenditur a Cicerone (²).

Hanc Stoicorum ἀπάθειαν Peripatetici oppugnabant, quorum rationes, a Cicerone (³) expositae, huc redeunt. Perturbationes non modo esse naturales, verum etiam utiliter a natura datas hominibus. Veluti iracundiam multis partibus laudabilem esse, tanquam cotem fortitudinis, qua efficitur ut in hostem et improbum civem multo fiant vehemen-

(¹) Tusc. III, 7. (²) Tusc. III, 8 sqq., IV, 17. Cf. M. Ant. X, § 25. (³) Tusc. IV, 19.

tiores impetus.) Nam leves ratiunculae eorum qui ita cogitant, *proelium rectum est hoc fieri; convenit dimicare pro legibus, pro libertate, pro patria;* hae igitur cogitationes nullam habent vim, nisi ira excanduit fortitudo. In multis aliis idem cernere licet. Orator verbi caussa nullus probatur, nisi in quo sint aculei iracundiae, quae, etiamsi non revera in eo sit, verbis tamen atque motu assimulanda est, ut auditoris iram oratoris incendat actio. Porro qui irasci nesciat, eum non lenem potius quam lentum esse et vix virum videri. Libido et cupiditas ad summam utilitatem nobis a natura datae sunt; nihil enim quisquam, nisi quod libeat, praeclare facere potest: veluti Themistocles, victoria Miltiadis ad virtutis studium et aemulationem incitatus, noctu somnum capere non poterat, dicens se Miltiadis tropaeis e somno excitari. Notae sunt in vulgus etiam Demosthenis vigiliae, qui dolere se ajebat si quando antelucana opificum industria victus esset. Ipsi philosophi sine flagranti cupiditate numquam in suis studiis tantos progressus fecissent, veluti Pythagoras, Democritus, Plato, qui ultimas lustrarunt terras, ut, ubicunque dignum quid esset cognitione, eo venirent. Aegritudinis eadem est ratio et utilitas, ut homines castigationibus, reprehensionibus, ignominiis affici se in delicto dolerent. Impunitas enim peccatorum data videtur iis, qui et ignominiam et infamiam ferunt sine dolore; melius est morderi conscientia. Mi-

sericordia quoque utiliter hominibus data est a natura ad opem ferendam et calamitates egenorum hominum sublevandas. Ipsa obtrectatio et aemulatio incendit ad praeclara studia, quum dolemus nos non idem consecutos esse, quod alii, aut alios non idem quod nos. Metum denique si quis tollat ex hominibus, is omnem vitae diligentiam tollit, quae summa est in iis qui paupertatem, ignominiam, mortem, dolorem timent (1). Atque ejusmodi est Peripateticorum de omnibus reliquis affectibus disputatio, quae eo spectat, ut fateantur eos resecandos esse, evelli penitus nec opus esse, nec fieri posse contendant, et in omnibus fere rebus mediocritatem, *μετριοπάθειαν*, optimam esse existiment.

Ad haec ita Stoici respondebant. Facile quidem hoc concedimus, homines vulgares et stultos sine affectuum incitatione et stimulis penitus languere, nec insolitum et magnum quidquam efficere posse; sed nos de sapiente loquimur, id est de homine perfecto, qui rationem ad summam praestantiam excoluerit, et jam virtutem adeptus sit, quae censetur prudentia, fortitudine, justitia, temperantia. Hic enim est sapiens, quisquis tandem est, qui moderatione et constantia quietus animo est, sibique ipse placatus, ut nec tabescat molestiis, nec frangatur timore, nec sitienter quid expetat ardens desiderio, nec alacritate futili gestiens deli-

(1) Cic. l. l. c. 20.

quescat; cui nihil humanarum rerum aut intolerabile ad demittendum animum, aut nimis laetabile ad efferendum videri possit; qui semper animo sic excubat, ut ei nihil improvisum accidere possit, nihil inopinatum, nihil omnino novum; qui ita in omnes partes acrem intendit aciem, ut semper videat sedem et locum sine molestia atque angore vivendi; ut, quemcunque casum fortuna invexerit, hunc apte et quiete ferat. His igitur bonis praeditus animus et vacuus perturbationibus, beatam vitam praestat. Contra animus concitatus et ab integra certaque ratione abstractus, non constantiam solum, verum etiam sanitatem amittit (1). Sed nimirum, ajunt Peripatetici, natura ipsa nobis adjunxit voluptatem et dolorem; quid impedit quominus naturam sequamur, atque affectibus eo usque indulgeamus, ut modum tamen in iis teneamus? Naturale est amici desiderio torqueri; da veniam lacrimis tam juste cadentibus: naturale est opinionibus hominum tangi, et adversis contristari; quare non permittas mihi hunc tam honestum et naturalem opinionis metum? At vero, respondent Stoici (2), nullum vitium est sine patrocinio: nulli non initium est verecundum et exorabile, sed ob hoc latius funditur. Non obtinebis ut desinat, si incipere permiseris. Imbecillis est primo omnis affectus, deinde ipse se concitat, et vires dum procedit, parat: excludi-

(1) Cic. l.l. c. 17. Cf. Sen. Ep. 66. (2) Apud Sen. Ep. 116.

tur, facilius, quam expellitur. Quis negat omnes affectus a quodam quasi naturali fluere principio? Curam nobis nostri natura mandavit; sed huic ubi nimium indulseris, vitium est. Voluptatem natura necessariis rebus admiscuit, non ut illam peteremus, sed ut ea sine quibus non possumus vivere, gratiora nobis illius faceret accessio; si suo veniat jure, luxuria est. Ergo intrantibus resistamus; quia facilius, ut dixi, non recipiuntur quam exeunt. Aliquatenus, inquis, dolere, aliquatenus timere permitte; sed illud aliquatenus longe producitur, nec ubi vis, accipit finem. Quocirca mollis et enervata Peripateticorum putanda est ratio et oratio, qui perturbari animos necesse dicunt esse, sed adhibent modum quendam, quem ultra progredi non oporteat. Neque enim aliud est modum adhibere affectibus, nisi vitio indulgere; quippe omnis affectus, quamvis mediocris, est aversa a recta ratione animi commotio. Et quis erit tandem modus iste? Etenim quae crescentia perniciosa sunt, eadem sunt vitiosa nascentia. Aegritudo autem ceteraeque perturbationes amplificatae certe pestiferae sunt; susceptae igitur etiam continuo in magna pestis parte versantur. Nam ipsae se impellunt perturbationes, ubi semel a ratione discessum est, ipsaque sibi imbecillitas indulget, et in altum provehitur imprudens, nec reperit consistendi locum. Qui igitur modum vitio quaerit, similiter facit, ut si posse putet eum, qui se e Leucate praecipitaverit, sustinere se, quando

velit. Ut enim id non potest, sic animus perturbatus et incitatus nec se cohibere potest, nec, quo loco vult, insistere (¹). Perturbatio profecto recte a Zenone definita est commotio animi contra naturam et aversa a ratione. Haec est oratio prudenter acuteque disserentium; illa quidem e rhetorum pompa desumta est, quum perturbationes dicantur ardores animorum cotesque virtutum. An vero vir fortis, nisi stomachari coeperit, fortis esse nequit? Gladiatorum id quidem est. At sine hac gladiatoria iracundia videmus progredientem apud Homerum Ajacem multa cum hilaritate, quum depugnaturus esset cum Hectore. Atque hi collocuti inter se, priusquam manum consererent, leniter et quiete, nihil ne in ipsa quidem pugna iracunde rabioseve fecerunt. De Africano quidem satis constat, non illum iracundia tam inflammatum fuisse, quum in acie M'. Allienum Pelignum scuto protexerit, gladiumque hosti in pectus infixerit. Neque Theseus, iracundia incitatus, Marathonii tauri cornua comprehendit. Neque Hercules iratus conflixit cum Erymanthio apro, aut leone Nemeaeo: neque alii, quorum virtutem aeternitati consecravit fama, potius inflammati ardore iracundiae, quam fortitudinis suae constantia et robore nitentes cum hostibus conflixerunt, et mortis pericula subierunt (²). Fortitudinis fons est in contemtu rerum

(¹) Cic. Tusc. IV, 17, 18. (²) Cic. P.F. 6. 21, 22.

humanarum, neglectu mortis, dolorum, laborum. Haec quum constituta sunt judicio atque sententia, tum exsistit robusta illa et stabilis fortitudo, quae non desiderat advocatam iracundiam, sed per se ipsa satis est instructa, parata, armata. Jam oratorem irasci minime decet, simulari non dedecet: neque enim irascitur quum aliquid acrius vehementiusque dicit, sed judicio et ratione agit mente leni et tranquilla. At qui libidinem defendunt exemplis Themistoclis, Platonis, Democriti, Pythagorae, maximo in errore versantur, quum studium libidinis nomine appellant. Sit etiam aegritudo utilis hominibus perditis et dissolutis: utatur motu animi, qui uti ratione nequit; nos autem in tota hac disputatione de sapiente quaerimus (1). Porro misericordia potius in vituperio quam in laude ponatur; quia ex animi mobilitate exsistit, mentique saepe caliginem objicit, quominus perspiciat utrum is cujus nos miseret dignus sit nec ne nostra benevolentia et auxilio egeat. Sed cur misereare potius, quam feras opem, si id facere possis? An sine misericordia liberales esse non possumus? Non etiam ipsi aliorum gratia aegritudines suscipere debemus, sed alios, si possimus, levare aegritudine. Denique eadem est ratio reliquorum omnium affectuum. Ex quibus conficitur perversam esse Peripateticorum sententiam, qui affectus in homine

(1) c. 23—26.

inesse quidem, sed amputari, circumcidi, et modo ac mediocritate contineri volunt: veram contra Stoicorum sententiam, qui eos penitus extrahendos eorumque fibras evellendas statuunt (1).

Tota haec disputatio Stoicorum, quamvis magnifica et verissimis referta sententiis, non tamen conficit rem, neque ad communem hominum captum est accommodata. Quod si enim illa sapientia et ἀπάθεια ejusmodi esset, ut eam humanis viribus consequi liceret, aut si communis hominum natura judicio et ratione, non opinione et animorum motibus regeretur, nihil verius constantiusque dicere poterant Stoici. Nunc quum ea sit humanae naturae imbecillitas, ut ad talem ἀπάθειαν aut nemo quisquam, aut paucissimi mortalium eniti possint, et longe plurimi eo sint ingenio ut non ipsa vi honestatis, sed praemiorum spe ac metu poenarum ad bene faciendum convertantur; fatendum est minime repudiandam esse Peripateticorum rationem, certe ad communem hominum utilitatem multo esse efficaciorem.

Locum de moderandis affectibus in duas partes distribuebant; quarum altera rationem tradit, qua laborans et perturbatus affectibus animus sedetur et sanetur; altera viam et rationem ostendit qua illam ἀπάθειαν, in qua vita beata posita est, consequamur. Primum dicamus de priore parte, quam Cicero (2) ait fusius a Peripateticis quam a Stoicis

(1) c. 26. (2) Tusc. IV, 5.

esse tractatam. Stoici quidem videntur in sedandis affectibus hoc unum in primis praecepisse, ut doceretur opinionem ex qua ortus esset affectus falsam esse, neque illud quod appeteretur vere bonum, aut quod fugeretur vere malum esse. Duas vero alias rationes quibus affectus minuitur et sedatur levius attigisse videntur; quarum altera docetur ipsum affectum esse malum, etiamsi illud quod cuperetur bonum vel quod fugeretur malum revera esset; altera affectus contrariis affectibus ejici et medicorum fere modo curari. Cicero, qui libris tertio et quarto Tusculanarum de affectibus praecipit, vix quidquam a Peripateticis sumsisse videtur, quod non a Stoicis quoque traditum fuisset. Primum igitur, si fieri possit, docendum est opinionem ex qua ortus sit affectus esse falsam, neque illud quod cupimus bonum esse, nec quod dolemus malum. Sed hoc non semper ratione perfici potest, nam subtiliorem requirit doctrinam, quam quae a vulgo intelligi queat. Et potest fieri ut quis eas res doleat, quae revera malae sint, easque vehementer cupiat, quae revera sint bonae, ut si quis verbi caussa in summo moerore versetur, quod nihil in se sit virtutis et doctrinae, aut si quis virtutem sapientiamque vehementiore appetat studore; nam et haec animum perturbant. „Sed omnis ejusmodi perturbatio", inquit Cicero (1),

(1) Cic. Tusc. IV, 28.

„animi placatione abluatur illa quidem, quum doceas, non bonum illud esse, ex quo laetitia aut libido oriatur; nec malum, ex quo aut metus, aut aegritudo. Verumtamen haec est certa et propria sanatio, si doceas, ipsas perturbationes per se esse vitiosas, nec habere quidquam aut naturale, aut necessarium; ut ipsam aegritudinem leniri videmus, quum objicimus moerentibus imbecillitatem animi effeminati, quumque eorum gravitatem constantiamque laudamus, qui non turbulente humana patiuntur. Quod quidem solet eis etiam accidere, qui illa mala esse censent, ferenda tamen aequo animo arbitrantur. Putat aliquis, esse voluptatem bonum; alius autem, pecuniam: tamen et ille ab intemperantia, et hic ab avaritia avocari potest. Illa autem altera ratio et oratio, quae simul et opinionem falsam tollit, et aegritudinem detrahit, est ea quidem utilior, sed raro proficit, neque est ad vulgus adhibenda." Si quis animadvertat ad ea quae paullo post dicuntur a Cicerone (1), facile intelliget obscuritatem et difficultatem iis inesse: „Quare", inquit, „omnium philosophorum, ut ante dixi, una ratio est medendi, ut nihil, quale sit illud, quod perturbet animum, sed de ipsa sit perturbatione dicendum". Hanc enim placandi rationem ad vulgum in primis adhibendam esse judicio Ciceronis, ex ante-

(1) c. 29. Cf. A. C. van Heusde, de Cons. apud Graecos, p. 66 sqq.

cedentibus apparet. Jam vero illa altera ratio, qua affectus ipse tollitur per se, non per sublatam falsam boni malive opinionem, in sequentibus exponitur a Cicerone usque ad finem libri quarti; sed ita tamen, ut facere non possit, quin alteram in subsidium advocet rationem, qua opinionis, unde oritur affectus, falsitas ostenditur. Per genera igitur perturbationum eundo, singularum sanationes exponit; et primum quidem aegritudinis, cujus duo fere promit remedia. Horum primum est ipsius naturae humanae ejusque imbecillitatis et fragilitatis consideratio, quo appareat fieri aliter non posse, quin saepius talia, qualia nunc dolemus, mala incidant: alterum est commemoratio eorum, qui eosdem tulerunt casus; nam et *solatium est misero*, ut ait poëta, *socios habuisse malorum*. Exempla eorum, qui forti magnoque animo eundem tulerunt casum, fractum et aegrotantem animum non tantum ad aequitatem revocant, sed ad fortitudinem magnitudinemque saepius extollunt. Porro ut praesentis mali est aegritudo, ita mali futuri est metus, itaque quibus rationibus instantia mala feruntur, iisdem contemnuntur sequentia (1). Deinde in affectibus iis qui oriuntur ex opinione boni, turpis est habenda omnis nimia animi effusio: velle debemus, non cupere: gaudere, non laetari; cavere, non timere. Ut vero turpes sunt qui efferunt se laetitia tum, quum fruuntur voluptatibus ve-

(1) c. 30.

tereis, ita flagitiosi illi qui eas inflammato animo concupiscunt. Neque vero fons hujus turpitudinis et flagitii amor est appellandus; potius animi levitas tanta, ut nihil cum ea sit conferendum (¹). Stoici quidem et sapientem amaturum esse dicunt, et amorem ipsum definiunt conatum amicitiae faciendae ex pulchritudinis specie, qui positus est in tranquilla et constanti animi voluntate, non in sollicitudine, desiderio, cura, suspirio, lacrymis, quae profecto ne pueros quidem et incultos homines, nedum viros aut literis excultos deceant. Sed tamen si amore aegrotet animus, ejusmodi medicina et adhibenda erit, ut ostendatur illud quod cupiat esse leve, contemnendum et facile vel negligendum vel aliunde comparandum. Saepius etiam animus aegrotus ad alia negotia, curas et sollicitudines adducendus est, vel novo etiam amore vetus amor, tanquam clavo clavus, extrudendus est. Denique et mutatione victus corpori consulendum est, quominus sua intemperie animum ad morbum sollicitet, et mutatione loci, coeli et aëris animus a veterum cogitationum consuetudine abducendus et paulatim ad sanitatem adducendus est (²). Atque eadem ratio ad reliquas quoque pertinet perturbationes.

Altera pars loci de moderandis affectibus est ea, quae continet rationem arcendi excludendique penitus ex animo affectus animumque perdu-

---

(¹) c. 31, 32. (²) c. 34, 35.

cendi ad perfectam ἀπαθείας felicitatem, cujus rationis capita summatim perstringemus. Primum igitur nihil appetendum nec aversandum nisi quod in nostra sit potestate positum. In nostra potestate sunt virtus, vitium, appetitus, aversatio et omnes omnino animi actiones; extra potestatem nostram sunt corporis status, opes, existimatio, honores. Quare appetendis declinandisque tantum iis quae in nostra sunt potestate, numquam frustrabimur proposito nostro; contra appetendis declinandisque iis quae non sunt in nostra potestate, saepius frustrabimur, perturbabimur, doloribus et aegritudine afficiemur. Et quum natura humana eorum quaedam postulet quae non sunt in nostra potestate, veluti cibum, potum, vestitum aliasque vitae necessitates; sapientis est harum rerum usum eo usque consectari, quousque et sibi et aliis utilitatem adferre possit. Ceterum modus in harum rerum appetitione is debet esse, ut omnis abundantia circumscribatur, animusque se adstringat ad ea sola quae summa necessitas ad vitam conservandam postulet. Haec et pauca et facilia sunt paratu; quocirca, quoad ejus fieri possit, minimum assumamus ex iis rebus, quae non sunt in nostra potestate positae: habet hoc quoque commodi tenuis victus cultusque, ut cum ab animo curas sollicitudinesque avertat, tum corpus ad robur et patientiam confirmet ([1]).

([1]) Epict. Ἐγχ. I, 2, Musonius apud Stobaeum, S. 1

Quumque fieri possit ut in necessariis quoque rebus quae ad victum et vitae cultum pertinent frustremur proposito, cavendum est ne in his frustrationibus perturbemur et aegritudinem contrahamus. Id quidem cavebimus, si nihil eorum absolute, sed ea conditione appetamus aut aversemur, si fieri possit; quod Stoici vocant μεθ' ὑπεξαιρέσεως, *cum exceptione*, agere ([1]). Non mutat sapiens consilium, manentibus his, quae aderant, quum consilium caperet. Numquam ideo illum poenitentia subit; quia nihil melius fieri illo tempore potuit, quam quod factum est; nihil melius constitui, quam quod constitutum est. Ceterum ad omnia cum exceptione veniet, si nihil inciderit quod impediat. Propterea omnia illi succedere dicimus, nec quidquam praeter opinionem accidere, quia praecepit animo, posse aliquid intervenire quod destinata prohibeat.

Neque vero hoc ita accipiendum est, ac si cum ista exceptione actio per se tantam vim habeat, ut immunitatem a perturbatione sive ἀταραξίαν praestare possit; nam et ipsam rem diligenter ponderare atque excutere debemus, antequam ad agendum accedamus. Saepius enim fit, ut non provisis remotioribus rei eventibus, nobis ipsis mala et aegritudines contrahamus, aut ignoratione hominum, quorum ope ad eam rem utamur, in errores et

et 17. ([1]) Epict. Ἐγχ. II, 2, M. Ant. IV, § 1, V, § 20, VI, § 50, Sen. de Benef. IV, 34.

fraudes incidamus, ab incepto turpiter desistamus, ad aliud consilium convertamur, animoque perturbemur. Sed, quum affectus omnes oriantur ex opinione boni malive, id est, ut recentiores philosophi loquuntur, ex istarum rerum notionibus vel claris vel confusis, opera danda est, ut bonorum et malorum nanciscamur notiones accuratas, distinctas; veluti exquisitissimi cibi, si consideremus quibus partibus constent, et quomodo parati sint, nauseam potius quam appetitum moveant; idemque obtinet in potu, rebus venereis, vestitu ceterisque rebus. Sunt enim ista omnia ex errorum orta radicibus, quae extrahenda et evellenda penitus, non circumcidenda et amputanda sunt (¹). Quod si vero vehementior sit affectus quam ut accurata rei cogitatione et distincta notione debilitari se et frangi patiatur, vel sic tamen resistamus ei paululum, ne nos velut impetu auferat, atque hoc intervallo temporis nobiscum reputemus sequentem animi corporisque statum, quae poenitentia et aegritudo, qui angores et sollicitudines e voluptate percepta oriantur; iisque cogitatione opponamus jucunditatem illam et sinceram animi suavitatem ac veluti victoriae congratulationem, quum, repudiatis voluptatis illecebris, suum statum obtinuerit, nec a virtute defecerit (²). Hac meditatione et commentatione, si vel paululum adhuc restet in nobis nervorum et roboris, nec penitus effaeminati

(¹) Cic. Tusc. IV, 26. (²) M. Anton. VI, 8. 11.

et quasi liquefacti simus libidine, affectuum tenebrae erroresque paulatim evanescent, non secus ac radii solis spissam quamvis nebulae caliginem paulatim dissolvunt lucemque reducunt. Jam vero, quominus repentino affectuum impetu animus auferatur, opus est constantia quadam et firmitate, cujus consequendae praeceptum hoc praecipuum est, quod a consuetudine et assidua sui observatione repetitur. Teneamus igitur animi nostri custodiam tanquam milites in propinquitate hostium; neque tantum attendamus et parati simus ad manifestum affectuum impetum, sed ab insidiis quoque nobis caveamus, neque hostem specie habituque amici clam subrepere tentantem in nostra praesidia imprudenter intromittamus. Quare ad omnes nostras cogitationes et voluntates animadvertamus, attendamus eas et observemus, nec ullam earum neglectam praeterlabi sinamus; judicemus de iis utrum bonae malaeve sint; utrum eas, uti tacita mente volvimus, ita etiam in publicam notitiam emittere audeamus, nullam bonam sine approbatione, malam sine reprehensione praetermittamus. Habet enim haec et observatio et neglectio magnum in utramque partem momentum: qui facilis est et negligens in cogitandis malis, idem est in admittendis negligens et in perpetrandis facilis: vicissim qui attentus et diligens est in bonis rebus cogitandis, idem et in negligendis iis difficilis et in perpetrandis diligens et attentus erit. Quare ita semper tacitam

animi cogitationem moderemur, ac si in hominum celebritate versaremur et ab omnibus observaremur ([1]).

Multa quoque et magna sunt adjumenta expellendorum affectuum et consequendae ἀπαθείας in cognitione et contemplatione divinae providentiae animique nostri erga eam obedientiae et reverentiae. Nam Deus, auctor et gubernator mundi, ita omnes res constituit, ut optime se haberent. Quare si non acquiescimus in iis quae fiunt, omnino in omnibus vitae casibus dupliciter peccamus: primum quod nostrum judicium a judicio Dei dissentiat, neque idem quod Deus pro bono malove habeamus: deinde quod voluntas nostra non consentiat cum divina voluntate, cui subjecti sumus, sicut milites imperatori; qui profecto errores manifesto contrarii sunt summae illi virtutis legi quae praecipit: ἕπεσθαι τῷ θεῷ, *Deum sequi* ([2]). Itaque praestat volentem prudentemque obtemperare divinae voluntati, quam invitum cogi; haec enim viam suam nihilominus persequitur, in eam-

([1]) Huc etiam pertinet Senecae praeceptum Ep. 43.

([2]) Ἕπεσθαι τῷ θεῷ et ἕπεσθαι τῷ λόγῳ Stoicis idem significat, atque κατὰ φύσιν, κατὰ λόγον, κατὰ θεὸν ζῆν, quae omnia eaedem sunt viae, eaedem rationes, eadem media, quibus quis unicum finem attingit, vel unicum scopum ferit, virtutem; quare non opus est cum Buddeo, de Stoic. Err. diss. II, p. 122 sqq., statuere Stoicos isti ἕπεσθαι τῷ θεῷ duplicem significationem tribuisse, quum utrumque, *se submittere Deo* et *imitari Deum*, apud Stoicos eodem redeat.

que nos trahit: „Quomodo," ait Seneca [1], „hic potest Deo parere, et quidquid evenit bono animo excipere, nec de fato queri, casuum suorum benignus interpres, si ad voluptatum dolorumque punctiunculas concitatur? — Ut bonus miles feret vulnera, enumerabit cicatrices, et transverberatus telis, moriens amabit eum, pro quo cadet, imperatorem; habebit in animo illud vetus praeceptum *sequere Deum* [2]. Quisquis autem queritur, et plorat, et gemit; imperata facere vi cogitur, et invitus rapitur ad jussa nihilominus. Quae autem dementia est, potius trahi quam sequi? — Quidquid ex universi constitutione patiendum est, magno excipiatur animo: ad hoc sacramentum adacti sumus, ferre mortalia, nec perturbari his quae vitare nostrae potestatis non est. In regno nati sumus: Deo parere, libertas est."

Ut obedientia praestanda Deo, ita cultus quoque ei habendus est, cujus summam complectitur Seneca [3]: „Primus est deorum cultus, deos credere: deinde reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est. Scire illos esse qui praesident mundo, qui universa vi

(1) De vit. beat. c. 15. (2) Praeceptum illud Boëthius, cons. I, 4, Pythagoricum esse censet; Homero tribuit Stob. Ecl. Eth. p. 66; alicui e septem sapientibus Cicero de Fin. III, 22; Zenoni Epictetus apud Arrianum, I, 20. Cf. Gatak. ad M. Ant. VII, § 31 et Lips. ad Sen. (3) Ep. 95. Cf. Cic. de N. D. II, 28.

sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt, interdum curiosi singulorum. Hi nec dant malum, nec habent; ceterum castigant quosdam et coërcent, et irrogant poenas, et aliquando specie boni puniunt. Vis deos propitiare? bonus esto. Satis illos coluit quisquis imitatus est." Quare quum homines nesciant quid ipsis utile sit, nihil eorum a diis precandum quae in rebus externis posita, et quae nostra sunt; quippe et bene et male illa accidere possunt. Sola absolute petenda est virtutis adeptio et vitii fuga; reliqua omnia cum hac exceptione petenda sunt, *si ita diis placeat, nobisque conducat*. Et ut alii a Deo expetunt divitias vel liberos, ita sapiens hoc unum precabitur, ut sibi Deus animi fortitudinem largiatur, qua et absentia a illa contemnat et ablata leniter ferat (¹). Estque in rectis precibus magna pars eaque praecipua divini cultûs posita. Denique ad calamitates aequo animo ferendas multum valet firma inductio mentis, qua nobis persuadeatur, neminem bonum virum a Deo negligi, sed medicinae loco exerceri. „Hos itaque Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet: eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis servat. — Quare Deus optimum quemque aut mala valetudine, aut aliis incommodis, afficit? Quare in castris quoque periculosa fortissimis imperantur? — Digni visi sumus Deo, in quibus

(¹) M. Ant. IX, § 40.

experiretur, quantum humana natura posset pati (¹).”

Porro ad cujuscujusque voluptatis perturbationisve sollicitationem continuo in subsidium quasi vocetur et cogitatione repraesentetur contraria virtus, veluti contra libidinem temperantia, contra timorem fortitudo, et ipsi nos admonere debemus, has virtutes tanquam arma nos accepisse, quibus vitia debellemus (²). Itaque nobis persuadere debemus, quicunque casus inciderit, nos beatos esse, dum virtutis viam constanter persequamur. Atque si ad tormenta carnificis adeo et supplicium rapiatur sapiens, virtutum comitem secum semper habebit et sociam beatam vitam, quae a virtute disjungi nullo pacto potest. Has igitur virtutes earumque sociam beatam vitam veluti imagines ante oculos nobis constituamus et intueamur (³).

Et ut a praesenti aegritudine sanat animum contemplatio conditionis imbecillitatisque humanae, ita eadem pectus confirmat adversus futuros fortunae casus. Hoc praeceptum Stoici poëtarum sententiis confirmare solebant: veluti Euripidis loco insigni ex fabula Theseo, quem locum latine vertit Cicero (⁴) et imitando expressit Terentius (⁵):

(¹) Sen. de Prov. c. 4. (²) Epict. Ἐγχ. c. 10, M. Ant. IX, § 42. (³) Cic. Tusc. V, 5. (⁴) Tusc. III, 14. (⁵) In Phorm. Act. II, sc. I, 11—17.

Quamobrem omnes, quum secundae res sunt maxume, tum
maxume
Meditari secum oportet, quo pacto advorsam aerumnam ferant.
Pericla, damna, peregre rediens semper secum cogitet,
Aut filî peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiae,
Communia esse haec; ne quid horum unquam accidat animo novom.
Quidquid praeter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro.

Magnus aegritudinum fons est in aliorum adversus nos injuriis; qui quidem fons penitus exarescet, si animum contra injurias confirmaverimus subsidiis virtutum, prudentiae, fortitudinis, justitiae, temperantiae. Quod si igitur sapientes sumus, nihil nobis injuria nocere poterit; neque enim virtus et propria bona, externa tantum et aliena nobis auferri possunt. Quare qui sapientem injuria aut contumelia afficiunt, hi sibi ipsi potius quam sapienti nocent. Neque enim ea est conditio sapientis, ut possit commoveri rerum externarum jactura: ut neque rupes in medio mari posita movetur fluctuum nsultibus, ita nec sapiens afficitur injuria. Hoc a **Socrate** jam dictum pluribus rationibus confirmarunt Stoici (1). Itaque nemo afficitur injuria, nisi qui putet se injuria affici; nemo contumelia, qui eam negligat; nemo quisquam malo afficitur, nisi qui illud quo afficitur malum esse putet. Quare quum in nostra potestate sit quantum ipsi tribuamus aliorum erga nos factis, abjiciamus falsam opinionem mali, neque quidquam in bonis ponamus nisi virtutem quae in nos-

---

(1) Sen. de Const. Sap. c. 1—6, **Arrian.** ad Epict. I, 29, III, 23; **Epict.** Ἐγχ. c. 32.

[illegible] est potestate, et tanquam proprium bonum nulla vi nobis auferri potest; nihil malum putemus nisi vitium quod ipsum in nostra est potestate, neque a quoquam homine nobis invitis inferri potest. Nemo quisquam ingenuus corpus suum alteri ad usum praebet aut in servitutem addicit; at vero pravas opiniones, quibus aliorum hominum auctoritati nimium tribuimus, facilius admittimus iisque nos subjicimus; sed qui commovetur injuria, is animum suum alterius arbitrio subjicit. Quo igitur turpius est animi quam corporis libertatem abjicere, eo magis contra nostras ipsi opiniones pugnare iisque resistere debemus, ne, dum putemus nos injuria affici et malum pati, nos et opinioni et injuriae simul subjiciamus (1). Cogitemus etiam multo majus esse damnum dolere aut irasci, et omnino ab animi aequitate dejici, quam ipsa illa opinata mala quae nobis illata sunt. Neque enim proficimus irascendo aut dolendo, contra animum etiam corrumpimus et magna felicitatis parte spoliamus; praesto igitur sit haec ad quemlibet adversum casum cogitatio, non esse operae pretium quare commoveamur, et opinato malo verum etiam adjungamus (2). Utile quoque ut is qui afficitur injuria, ad se ipsum respiciat cognoscatque se hominem esse iisdem fere labibus atque morbis obnoxium atque illum qui injuriam infert; quae communionis atque societatis cogi-

(1) Epict. Ἐγχ. c. 28. (2) M. Ant. XI, § 18.

multo nos faciliores reddet ad condonandum. Valet haec medicina in aliorum maledictis, in quibus ad nos ipsi respicere debemus, et cognitis nostris vitiis nos ipsos admonere, eum qui male dixit multo plura de nobis mala proferre potuisse, si accuratius nos et interius inspexisset; quare aliorum maledictis non ad iram aut defensionem, sed cognitionem nostram et vitiorum emendationem convertamur (¹). Aliae sunt multae caussae, propter quas ignoscamus iis qui injuriam in nos conferunt. Prima, quod, quicunque male facit, putat se recte facere; nemo enim quisquam agit, nisi quod bonum rectumque putet esse; itaque qui injuste agit juste agere se putans, in maximo gravissimoque errore versatur: nemo enim sponte malus est, sed qui malus est, non nisi male agere potest; propter infelicitatem igitur potius misericordia et auxilio nostro opus habet, quam dignus est ira et poenis (²). Altera caussa est, quod omnes in hoc mundo homines communi cognationis vinculo continentur et invicem fratres sunt; quare, ut aequum est fratrum injurias ferre, eosque potius admonitione ad meliorem revocare mentem, quam vicissim inferendis malis vexare; ita quoque erga alios agendum. Ut enim in singulis familiis jus et aequitas colenda est a liberis, ita in universa hac mundi familia, cujus pater et rector est Deus, erga

(¹) Epict. Ἐγχ. c. 33. M. Ant. I. I. (²) Epict. Ἐγχ. c. 42.

alios homines cognationis officia colenda sunt (¹). Ut in corpore cujuslibet membri suum est propriumque officium, et singulorum actione sanitas totius corporis efficitur: ita in mundi civitate quilibet civis habet suum officium, quo peragendo universae civitatis salus continetur: quare, quum omnium salus posita sit in singulorum diligentia, stultum profecto sit tuum te officium negligere propterea quia alius suum negligat. Sed fecit nos natura ad virtutis studium et beneficentiam aliorum hominum: aliorum igitur erga nos malefacta apud nos numquam tantum valere debent, ut a virtutis tramite et beneficentiae officio deducamur: potius nostrum est pergere in eodem erga eos beneficentiae studio, eosque benefactis non malefactis vincere (²). Quod si etiam eos, qui injuriam in nos conferunt, interius inspiciamus, reperiemus eos esse homines leves et nullius pretii, ut eos ne dignos quidem censere debeamus propter quos irascamur aut commoveamur. Sunt vero iidem homines partes hujus civitatis: quare si rector civitatis Deus malos cives fert, nostrum esse voluntatem cohibere nostram, eamque divinae subjicere voluntati: quae non nisi rationibus sapientissimis malos homines in hanc civitatem vel suscipit vel fert (³). Sed infinitum est omnia de hoc loco Stoicorum praecepta

(¹) Epict. c. 43, M. Ant. I.I. et IX, § 22, 27. (²) M. Ant. V, § 6, IX, § 42, Sen. de Benef., I, 2. (³) M. Ant. IX, § 27, 29, XI, § 18.

aliud numeraret in bonis, idque appellaret honestum, quod esset simplex quoddam, et solum et unum bonum. Cetera autem etsi nec bona, nec mala essent, tamen alia secundum naturam dicebat, alia naturae esse contraria. His ipsis alia interjecta et media numerabat. Quae autem secundum naturam essent, ea sumenda et quadam aestimatione dignanda docebat; contraque contraria: neutra autem in mediis relinquebat, in quibus ponebat nihil omnino esse momenti. Sed quae essent sumenda, ex iis alia pluris esse aestimanda, alia minoris. (*Quae pluris, ea praeposita appellabat; rejecta autem, quae minoris*). Atque ut haec non tam rebus, quam vocabulis commutaverat; sic inter recte factum, atque peccatum, officium, et contra officium, media locabat quaedam: recte facta sola in bonis actionibus ponens; prave, id est, peccata, in malis. Officia autem et servata, praetermissaque, media putabat." Hoc loco verba uncis inclusa vitio laborant, quod vel ab ipso Cicerone vel a librariis fluxit. Nam, secundum Zenonis divisionem, res indifferentes sunt triplicis generis; vel secundam naturam, ut sanitas, vires, similia; vel contra naturam, ut adversa valetudo, imbecillitas; vel nec secundum nec contra naturam, verbi caussa, ut sit capillorum numerus par vel impar. Quae secundam naturam sunt, dicuntur *προηγμένα*, *producta*, quae contra naturam, *ἀποπροηγμένα*, *rejecta*. Itaque ea, quae sumenda sunt vocantur *praeposita*, quae rejicienda

sunt non in eodem sunt genere atque illa quae sunt praeposita, sed sunt in contrario genere, illorum eorum, quae sunt contra naturam (1).

Nunc jam rem ipsam explicemus, quod quo accuratius conficiatur, eam paullo altius repetemus. Bonum est virtus, malum est vitium, reliqua omnia sunt ἀδιάφορα, indifferentia; sed ex indifferentibus alia sunt secundum naturam, alia contra naturam, alia neutrum. Secundum naturam sunt vita, sanitas, divitiae; haec non sunt appetenda prouti virtus, sed tantum sumenda, accipienda, ληπτά. Contra naturam sunt mors, dolor, morbus et similia; quae non sunt cum aversatione fugienda prouti vitium, sed non sumenda, ἄληπτα. Inter haec media sunt interjecta, plane indifferentia, veluti parem aut imparem habere numerum capillorum, et similia. Virtus et ea quae sunt secundum naturam, sunt aestimatione digna,

---

(1) Mirandum est hunc errorem, quamquam notatum a Davisio et ante eum a Lipsio, Man. ad Stoic. Phil. lib. II diss. 23, silentio tamen praetermissum esse ab Ernestio. Nobis lenissima ratio vindicandi Ciceronis videtur, si illa verba deleantur, tanquam in margine annotata, unde perperam in contextum irrepserint? His enim ejectis, bene omnia sibi constant. Deinde notandum verba „sic inter recte factum atque peccatum, officium et contra officium, media locabat quaedam": male explicari a Tiedemanno, Syst. der Stoisch. Phil. Th. III, S. 300, quum sic intelligenda sint: „locabat officium et contra officium, tanquam media quaedam, inter recte factum et peccatum."

officia exponeret, non vero interiorem Stoicorum sententiam de natura et vi officii explicaret, quae explicatio difficilior erat pro aetate et ingenio Marci filii, ad quem scripti sunt hi libri, quippe qui Stoicorum subtilitati et doctrinae nondum erat adsuetus. Quare quum popularis esse et se ad juvenis captum accommodare studeret, hanc subtilitatem ita circumscripsit, ut argumentum tantummodo delibaret; ita breviter tamen, ut interpretibus Stoicae rationis parum peritis tenebras objiceret, quae hucusque nondum penitus disjectae sunt. Quare nos Stoicae disciplinae sententiam e Catonis disputatione, sumtis in subsidium Diogene Laërtio, Stobaeo, aliisque, adumbremus.

Homo, simul ac natus est, sibi ipse conciliatur et quasi commendatur a natura, ut se ipse diligat, conservet, appetat ea quibus conservetur, et fugiat ea quae interitum afferre videantur. Hanc primam ponunt Stoici hominis ὁρμὴν et ἀφορμὴν, quae si adipiscatur id quod quaerebat, consequitur voluptas, quae perperam ab Epicuro et aliis pro prima naturae appetitione habetur, quum potius ex adeptione primae appetitionis consequatur. Quum adolevit paullatim homo, aliae accedunt appetitiones, veluti cognitionis, salutis, virium, corporis, et aliarum rerum; quae dicuntur τὰ πρῶτα τῆς φύσεως. Jam res quae secundum naturam sunt, aut tale quid efficiunt, dignae sunt selectione et pondus habent dignum aestimatione: dicuntur a Zenone ἀξίαν ἔχειν, aestimatione

dignae; quae autem iis sunt contraria, incommoda, ἀπαξίαν ἔχειν, non aestimatione dignae. Sed ex his quae sunt secundum naturam, sunt ipsa propter se sumenda, et contraria item propter se rejicienda. Primum igitur est officium conservatio in naturae statu et adeptio eorum quae efficiunt hanc conservationem. Atque in hoc gradu omnem subsistit insipiens, sapiens vero ulterius progreditur, pervenitque ad notionem convenientiae et honestatis, τοῦ καλοῦ καὶ τῆς ὁμολογίας, videtque honestatem solam propter se esse expetendam; eorum autem quae sunt prima naturae nihil propter se expetendum. Illud igitur primum officium quod refertur ad prima naturae, seu conservationem status nostri, nondum honestatem tangit, sed tamen ejusmodi est ut inde honestas oriatur ipsumque subjiciatur tanquam ultimo fini, honestati; ut adeo quanquam illorum officiorum finis sit status conservatio et prima naturae, tamen haec ipsa ad praestantiorem et ultimum finem, nimirum honestatem, referri debeant. Hoc loco Stoici utebantur similitudine in cujus explicatione se ipsi impediverunt, quapropter reprehensi sunt a Plutarcho (*). Haec autem similitudo ejusmodi est: qui sagitta scopum ferire vult et hoc sibi propositum habet, debet ferre secum sagittas in scopum emittere; finis igitur huic propositum est, ut feriat et tangat scopum, quod

(*) [illegible] p. 1071.

ut efficiatur debet emittere et dirigere sagittam. Finis est expetendus; quod autem ad finem ducit non expetendum, sed seligendum, ληπτὸν seu προηγμένον. Ita qui ad beatam vitam vult pervenire tanquam ad finem, debet officia ea exsequi, quae referuntur ad prima naturae; quapropter officiorum perfectio seligenda, vita autem beata expetenda est. Sunt igitur prima naturae et officia quae in iis versantur nimis generalia, neque satis definita ut ad bonum seu ultimum finem referantur; nam potest iis aliquis male aut temere uti: prouti ad scopum feriendum non satis est ferire, quippe quod male fieri potest; ita omnia prima naturae, veluti vita, valetudo, cognitio et similia, prava possunt fieri, nisi ad ultimum finem, nimirum sapientiam, dirigantur; cui sententiae Catonis apud Ciceronem (¹) verba probe conveniunt: „Ut enim histrioni actio, saltatori motus, non quivis, sed certus quidam est datus; sic vita agenda est certo genere quodam, non quolibet; quod genus conveniens consentaneumque dicimus." Confirmant eandem sententiam ea quae inferius (²) de differentia medii et perfecti officii traduntur: „Quoniam enim videmus esse quiddam, quod recte factum (κατόρθωμα) appellemus, id autem est perfectum officium; erit autem etiam inchoatum (καθῆκον, medium officium) sunt, si juste depositum reddere, in recte factis sit, in officiis (scilicet mediis)

(¹) De Fin. III, 7. (²) c.18. Cf. de Off. III, 3 et 4.

ponatur, depositum reddere: illo enim addito, *juste*, fit recte factum: per se autem hoc ipsum reddere, in officio (scilicet medio) ponitur." Medium officium igitur est tanquam simulacrum virtutis, progressio ad virtutem, et in medios homines cadit. Praeterea huc accedit auctoritas Stobaei (1), qui quum genus officii definit, quod utramque formam perfectum et imperfectum complectitur, primum dicit τὸ ἀκόλουθον ἐν ζωῇ, quod ad vitae convenientiam pertinet; deinceps ponit ὃ πραχθὲν εὔλογον ἀπολογίαν ἔχει, cujus facti probabilis ratio reddi possit. Quorum primum pertinet ad officium perfectum, posterius ad imperfectum. Atque hinc corrigendus Diogenes Laërtius (2), qui ex eodem fonte hauriens eandem bipartitam definitionem exhibet; sed has duas definitiones in unam confundit, quum dicit: καθῆκον φασὶν εἶναι ὃ πραχθὲν εὔλογόν τε ἴσχει ἀπολογισμὸν οἷον, τὸ ἀκόλουθον ἐν τῇ ζωῇ, quo loco omne sententiae discrimen tollitur, si vocem οἷον vel ejicias vel mutes in καί.

Summum igitur bonum et ultimum nec in voluptate positum est, nec in vacuitate doloris, neque in primis naturae, ut aliis placuit philosophis. Sed hoc est summum bonum: „Vivere, scientiam adhibentem earum rerum, quae natura eveniant, seligentem, quae secundum naturam, et si quae contra naturam sunt, rejicientem, id est,

(1) Ecl. Eth. p. 158. (2) VII. § 107. Cf. Menagius ad h. l.

convenienter congruenterque naturae vivere" (¹). Neque tamen selectus rerum indifferentium debet tolli, quod Aristo fecerat (²): hac enim sublata selectione, tollatur omnis quae quaeritur laudaturque prudentia et ipsa vita, neque ullum sit sapientiae munus (³). Ceterum in sapiente omnia facta sunt expleta suis numeris, suntque adeo κατορθώματα etiamsi nondum effecta sint, sed tantummodo cogitatione et consilio praecepta. Bonum autem summam habet ἀξίαν, aestimationem seu pretium; neque aliud alio bonum majus est (⁴). Ipsa tamen ἀξία est in rebus indifferentibus, cujus decreti eadem videtur esse caussa quae valet in rebus modo memoratis; quod nimirum ἀξία per se generale quid est, et tum demum boni quid fit, quum in rebus ipsis inest. Porro ἀξίαν seu aestimationem quoque habent res indifferentes; itaque beata vita complectitur quod aestimatione *omni*, *non* aliqua, dignum sit (⁵).

(¹) Cic. de Fin. III, 9. (²) Cic. de Off. I, 2, Sext. Emp. adv. Eth. XI, § 64. (³) Cic. de Fin. III, 15. (⁴) Cic. l.l. c. 10, D. L. VII, § 101, Sen. Ep. 66. (⁵) Cic. de Fin. III, 12. Ita legendum hoc loco, addita particula *non*, quae sufficit ad constituendam sententiam; ut adeo non opus sit altera Davisii emendatione: „Nostri non ex omni; quod aestimatione aliqua dignum sit, compleri vitam beatam putent." Perperam enim judicat, omnia quae habeant ἀξίαν esse indifferentia; nam ex Diogene Laërtio, VII, § 103, diserte intelligitur duplicem illam esse, alteram in bonis, alteram in indifferentibus. Cf. Cic. l.l. c. 10 et 14.

Sed bonum quod appellatur, quodque in sola virtute et honestate positum est, tantam habet vim, ut vitam beatam praestet, et qui illud possideat, scilicet sapiens, etiam in maximis tormentis, velut quum eculeo torqueatur, beatitatem retineat. Hac igitur in parte non verbis, ut Carneades dixit, sed re ipsa graviter dissentiunt Stoici a Peripateticis. Hi enim tria genera bonorum statuunt, quibus vita beata expleatur; animi, corporis et rerum externarum, eamque ita majorem aut minorem fieri putant, ut ad animi bona accedant vel ab iis decedant duo reliqua bonorum genera. Contra Stoici in una virtute beatam vitam ponunt eamque per se absolutam et expletam esse volunt, nec majorem fieri unquam, ut nec ipsa per se crescat, nec externarum rerum accessione, ut vitae diuturnitatis, sanitatis vel divitiarum, augeatur: quocirca sapiens dives et bona corporis valetudine praeditus, non beatior sit sapiente paupere et infirmitate et deformitate affecto ([1]). Virtus propria vi censetur et convenientia, ut cothurni laus est ad pedem apte convenire, ita virtutis bene et naturae convenienter vivere; et prouti histrio laude dignus est, non qui diutissime personam egit, sed qui, quamcunque personam acceperit, sive regis, sive servi aut mendici, eam bene egit; sic in vita tanquam scena, quamcunque nobis personam Deus tribuerit, ea convenienter agenda est, ne-

([1]) Cic. l.l. c. 13.

que refert quam personam quamque diu, sed quam bene quamque convenienter gesserimus. Ceterum prima naturae, sanitas, vita et similia, sunt indifferentia quidem, non per se, sed si cum virtute comparentur. Nam ut obscuratur et offunditur lux lucernae luce solis, et ut interit magnitudine maris Aegaei stilla muriae, et ut in divitiis Croesi teruncii accessio, et gradus unus in ea via quae est hinc in Indiam; sic omnis ista rerum in corpore sitarum aestimatio splendore virtutis et magnitudine obscuretur et obruatur atque intereat necesse est ([1]). Itaque in rebus indifferentibus tamen delectus quidam tenendus est; non enim sunt per se indifferentes, sed ad alias relatae ([2]). Indifferentia quidem sunt ad honeste vivendum, neutiquam vero ad excitandum affectum aut ad vivendum secundum naturam. Duplex igitur haec divisio in iis locum habet: prima ut vel sint ὁρμῆς et ἀφορμῆς κινητικά, appetitûs et aversationis moventia, vel non sint. Ad priorem formam pertinent vita, sanitas, mors, morbus, similia; ad posteriorem, verbi caussa, pares habere aut impares capillos, digitum extendere et similia. Altera divisio tres habet formas; prima est rerum quae sunt secundum naturam, sanitas, firmitas corporis et membrorum, sensuum bona constitutio; secunda est rerum contra naturam,

([1]) Ib. c. 14. ([2]) Ib. c. 15. Stob. Ecl. Eth. p. 142 seqq. D. L. VII, §. 104 sqq.

veluti morbus, infirmitas, mutilatio membrorum, sensuum depravatio: tertia forma est eorum quae nec secundum naturam nec contra sunt, veluti animi conditio, quae capax sit falsorum visorum, vel corporis conditio, quae capax sit morbi et mutilationis. Ita Stobaeus, cujus ultima haec divisionis forma convenit cum illa Diogenis Laërtii, qua continentur ea quae nec felicitatem nec infelicitatem efficiunt, ut divitiae, sanitas, bona existimatio, quippe quibus bene maleve uti aliquis possit.

Jam indifferentia quae secundum naturam sunt dicuntur προηγμένα, *praeposita*, *producta*, quae ita quoque definiuntur ut sint ἀδιάφορα ἀξίαν ἔχοντα, ut valetudo, integritas sensuum, gloria, divitiae. Indifferentia quae contra naturam sunt dicuntur ἀποπροηγμένα, *rejecta*, quae sunt ἀδιάφορα ἀπαξίαν ἔχοντα. Producta et rejecta sunt varii generis; eaque vel animi vel corporis, quae enumerantur a Stobaeo et Diogene Laërtio. Producta autem propterea vocata sunt a Zenone, quia προάγεσθαι dicuntur illi qui a regibus in aulis ad dignitatem et honorem provehuntur, secundum a rege occupant locum. Ita in hac similitudine virtus, tanquam rex, provehit ad proximam sibi dignitatem res indifferentes quae sunt secundum naturam, iisque aestimationem tribuit, et eas eo loco ponit et ad eum usum adhibet, ut afferant aliquid adjumenti ad eam vitam quae secundum naturam est: haec est illa ἀξία seu aestimatio quae in rebus

praepositis valet, ut patet e Diogene Laërtio (1). Atque hic iterum Stoici in difficultates se induerunt; nam praepositis, in quibus sunt prima naturae, secundum a bono seu virtute tribuebant locum, vimque iis adjungebant eam, ut adjumentum adferrent non ad τὸν ὁμολογούμενον βίον, vitae convenientiam, in qua beata vita posita est; sed ad vitam quae est secundum naturam: neque tamen unquam satis accurate exposuerunt, quid inter istud convenienter vivere et secundum naturam vivere intersit. Denuo igitur illam similitudinem affert Cato, desumtam a jactu tali, quae tam acuta est, ut suo se acumine ipsa compungat. Nam, inquit (2), si finis sit ita jacere talum, ut rectus assistat; talus recte cadens non est ipse finis, sed habebit aliquid praepositum ad finem, seu ducet ad finem: ita praeposita referuntur quidem ad finem ad eumque ducunt, non tamen ad ejus vim et naturam pertinent. Hoc ita refert Stobaeus (3): scopum esse beatam vitam, finem vero adipisci beatam vitam; ut hac ratione scopus seu beata vita sit in genere rerum indifferentium, adipisci beatam vitam ponatur in bonis, atque idem sit secundum naturam vivere, atque honeste vivere. Eo redeunt etiam Stoicorum dicta et definitiones, quae referuntur a Diogene Laërtio (4), ut adeo, si virtus est secundum naturam vivere, et

(1) VII, § 105. (2) Cic. l. l. c. 16. (3) Ecl. Eth. p. 138.
(4) VII. § 87—90.

praeposita ducunt ad vitam secundum naturam, ducant etiam ad virtutem, et haud abs re dixisse videatur Plutarchus, Stoicos hac in parte aenigmata loqui et ludere. At vero hanc quidem reprehensionem ita diluebant Stoici, ut dicerent, omne bonum esse secundum naturam, sed non omne quod esset secundum naturam propterea etiam bonum esse: secundum naturam esse genus, bonum vero ejus speciem. Hoc est quod Cato vult, quum dicit (1): „Neque enim illud fieri poterat ullo modo, ut nihil relinqueretur in mediis, quod aut secundum naturam esset, aut contra": atque ita in mediis aliquid debuisse poni, quod satis aestimabile esset atque praepositum.

Bona distribuuntur in τὰ τελικά, *ad finem pertinentia*, ad quae nihil refertur nisi honestae actiones: τὰ ποιητικά, *efficientia*, ad quae nihil refertur nisi amicus: denique ea quae simul sunt et pertinentia et efficientia, veluti sapientia et virtutes (2).

Producta distribuuntur quoque trifariam. Primo loco sunt ea quae propter se ipsa producuntur, ut ingenium, εὐφυΐα, progressus, similia. Secundo quae producuntur propter alia, ut divitiae, nobilitas, similia. Tertio quae propter se ipsa et propter alia producuntur, veluti robur corporis et sensuum integritas, quae quidem et ipsa propter se

---

(1) l.l. (2) D. L. VII, § 96 sq., Stob. Ecl. Eth. p. 124 sqq., et Sen. Ep. 109. Cf. Lips. Man. ad Stoic. phil. II, diss. 22.

appetuntur, quia secundum naturam sunt, et propter alia, quia multas afferunt utilitates (1).

Hinc intelligitur sapientem etiam in iis rebus, quae nec bonae nec malae sunt, fungi debere officio. Nam omne quod ratione fit est officium, quemadmodum definitur apud Diogenem Laërtium (2), ubi generatim de officio tam perfecto quam imperfecto sermo est; atque idem videtur a Catone significari, quamquam ejus oratio vitium a librariis suscepit. Quum definitio officii medii sit, cujus facti probabilis ratio reddi possit; sequitur perfecti officii esse hanc definitionem, cujus facti certa et perfecta ratio reddi possit. Est igitur, ut Cato significat, etiam medium quoddam officium, quod nec in bonis nec in malis versatur rebus, sed in praepositis et rejectis, cujus probabilis ratio possit reddi, quum generatim officium illud sit quod ratione actum sit (3).

Esse vero praeter officium perfectum aliud imperfectum, ex hoc ipso concluditur, quia ex imperfecto nascitur perfectum. Nam omne officium nascitur ex convenientia naturae, et quia sapiens cum insipiente communia habet principia naturae; sequitur esse aliquod officium quod in rebus indifferentibus versetur, quodque sapienti et insipienti commune sit, atque adeo recte commune et medium vocetur (4).

Quare, quum officia dicantur media, quumque

---

(1) Cic. l.l. c. 17. Cff. D. L. VII, § 107, Stob., Ecl. Eth. p. 144 sqq. (2) VII, § 108. (3) Cic. l.l. (4) Cic. l.l. c. 18.

Varro (1) dicat, Zenonem inter recte facta atque peccata interjecisse media quaedam quae officia dicerentur, eaque media esse, sive servarentur sive praetermitterentur, hoc primum intelligendum est de solo officio imperfecto: deinde vocabula indifferens et medium ex Stoicorum consuetudine sunt interpretanda, non ut nihil referat utrum haec officia serventur nec ne; sed ut in iis rebus versentur, quae inter bona malaque mediae sint, et tamen tantam habeant aestimationem, ut et sapiens et bonus vir ea servare et peragere debeat. Archedemus igitur ultimum finem ita definivit, ut officia omnia peragerentur (2); quem alii secuti sunt, ut apparet e Cicerone (3). Nam quum Stoici ultimum finem statuissent secundum naturam vivere, quidam ex iis hoc ita interpretati sunt, officia omnia aut pleraque servantem vivere. Illud enim rectum aut perfectum officium, quod *κατόρθωμα* dicitur, contingit soli sapienti; hoc autem medium, quod *καθῆκον* appellatur, inchoati cujusdam officii est, non perfecti, quod cadere in nonnullos insipientes potest (4).

Jam ipsa officia, de quibus Stoici praeceperunt, exponere, cum infinitum tum ejusmodi potius est disputationis, qua separatim una aliqua

(1) Cic. Acad. I, 10. (2) D. L. VII, § 88. (3) De Fin. IV, 7. (4) Lips. Man. ad Stoic. phil. II, diss. 13. De Stoicorum sententia circa officia docte disputavit Beierus, ad Cic. de Off., Exc. I—VII, Tom. I, p. 314—323.

Stoicae doctrinae pars traditur, quam qua universa eorum philosophia adumbratur. Quare hujus loci cognitio ex ipsis Stoicorum libris, cum antiquiorum, quorum summas et argumenta exhibuerunt Cicero, Diogenes Laërtius et Stobaeus, tum posteriorum, Senecae, Epicteti et Antonini petenda est. Nam de officiis multi scripserant ex antiquis libros singulares, Zeno, Cleanthes, Chrysippus, Panaetius, Posidonius, Hecato; ex quibus Panaetium in primis secutus est Cicero in libris de hoc argumento scriptis, ita tamen, ut a Stoicorum ratione subinde recederet. Ipse enim Panaetius Stoicam illam severitatem temperamento quodam humanitatis mitigavit, propiusque ad Platonem accessit (1). Et ipse Cicero (2) fatetur se in argumento de officiis explicando Stoicos quidem sequi, non tamen ut interpretem, verum ita, ut judicio arbitratuque suo ex eorum fontibus hauriret. Panaetius tripartitam fecerat divisionem doctrinae de officiis, ut de unaquaque actione triplex esset quaestio: prima, an honesta sit; secunda, an utilis; tertia, an cum honestate utilitas pugnet. Primam partem explicuit e quatuor virtutis partibus, prudentia, justitia, fortitudine, temperantia, e quibus singulis quaedam officia ducerentur; secundam ex vitae statu et actione; tertiam omisit, quod quibus de caussis factum sit judicat Ci-

(1) Cic. de Fin. IV, 28. (2) De Off. I, 2.

cere [1]. Cicero autem, qui ibidem fatetur se cum quadam correctione secutum esse Panaetium, qui sine dubio de officiis accuratissime disputasset [2], ita hac distributione corrigit Panaetium, duas adjungens partes, alteram ut quaereretur e duobus honestis utrum honestius; alteram, e duobus utilibus utrum utilius esset [3]. Ceterum apparet, tam e Panaetii distributione, quam ex aliorum Stoicorum praeceptis officia non ad sola προηγμένα, prima naturae, atque adeo ad res indifferentes referri, sed ex ipsa virtute duci ad eamque ducere: porro in sapientis muneribus hoc etiam esse, ut in rebus omnibus agendis virtutem ipsam sequatur, et delectum rerum praepositarum secundum quatuor virtutis partes, prudentiam, temperantiam, fortitudinem et justitiam instituat. Nos vero quo accuratius propriam Stoicorum sententiam de officiis aperiamus, argumenta et summam e Catonis disputatione, quae est apud Ciceronem [4], colligamus eaque aliorum auctoritate confirmemus.

Principium appetendi et agendi proficiscitur ab amore sui, quem cuilibet animanti natura indidit et commendavit ad se conservandum in statu qui sit secundum naturam [5]. Itaque primum omnium

(1) De Off. III, 2. (2) Cic. de Off. I, 1. Animadvertendum est, Ciceronem, in libris de Officiis, officia media non ratione materiae in qua versantur, sed ratione hominum in quos cadunt, videlicet medios et non sapientes, explicuisse. (3) De Off. lib. III. (4) De Fin. III, 18 ad finem. (5) Ib. c. 5.

officiorum est, ut se quisque conservet in naturae statu; cui officio proximum et adjunctum est alterum, ut ea teneat quae sunt secundum naturam pellatque contraria. Neque vero illud officium eam habet vim, ut homo semper vitam suam conservare debeat. Incidunt enim nonnumquam caussae, propter quas sapiens ipse sibi mortem inferat: „Saepe", inquit Cato [1], „officium est sapientis, desciscere a vita, quum sit beatissimus, si id opportune facere possit, quod est convenienter naturae vivere. Sic enim censent, opportunitatis esse beate vivere. Itaque a sapientia praecipitur, *se ipsum* [2], si usus sit, sapiens ut relinquat." Hanc non *αὐτοχειρίαν*, quod nos dicimus suicidium, vocarunt, sed vocabulo leniori, quo rei tristitia mitigaretur, *ἐξαγωγὴν* appellarunt; neque illa cadit in insipientem, sed potius in sapientem. Rationes aperit Cato [3], et Uticensis exemplo ad rem declarandam utitur Cicero [4]. Reliqua officia hominis erga se ipsum sunt ejusmodi, ut ea quae dicuntur *τὰ προηγμένα* quoad ejus fieri possit nanciscatur, et *τὰ ἀποπροηγμένα* rejiciat.

---

(1) De Fin. III, 18. (2) Ita enim legendum pro *se ipsam* suspicatur Ernestius; at latinitatis usui et perspicuitati magis favere mihi videor pro *se ipsum* legendo *vitam*. (3) l.l. (4) De Off. I, 31; quibus locis addendi sunt Diogenes Laërtius, VII, § 130, Stobaeus, Ecl. Eth. p. 226, Plutarchus, adv. Stoic. p. 1060 C, 1063 C, D, Seneca, de Ira III, 15, Epp. 17 et 70.

Sequuntur officia erga alios, quae quidem sunt vel diis vel hominibus praestanda. Primo loco sunt dii, pietate placandi (1), de quorum cultu supra vidimus. Ceterum ex divina voluntate officia repetenda esse, communis fuit Stoicorum et Peripateticorum sententia.

Proximi post deos nobis sunt parentes, fratres et nati, erga quos natura nobis ingeneravit amorem (2). Sapiens igitur uxorem ducet, liberos procreabit, rem publicam administrabit. Nam quum ad tuendos conservandosque homines hominem natum esse videamus, consentaneum est huic muneri, ut sapiens velit gerere et administrare rem publicam, ut e natura vivat, uxorem sibi adjungat et ex ea liberos procreet (3).

Est vero naturalis omnium hominum inter se societas et communio juris; homo enim est ζῷον λογικὸν καὶ πολιτικόν, animal ratione praeditum et ad societatem natum: mundus est communis civitas hominum et deorum, cujus unusquisque pars est, eaque regitur numine ac providentia deorum. Porro tanta est naturae vis, ut hominum societatem appetamus, etiamsi nullam inde utilitatem exspectemus, sicuti membris utimur etiamsi nondum didicimus, cujus ea utilitatis caussa habeamus: nec a diis immortalibus postulare licet ut iis cari

---

(1) Cic. de Off. II, 3, D. L. VII, § 119. (2) Cic. de Fin. III, 19, D. L. VII, § 120. (3) Cic. de Fin. III, 20, D. L. VII, § 121, Stob. Ecl. Eth. p. 158, 186.

simus ab iisque diligamur, si ipsi alios homines negligamus. Hinc sequitur ut communem utilitatem anteponamus nostrae, et laudandus sit is qui pro re publica mortem oppetat, quo ostendit cariorem sibi esse patriam quam semetipsum (1).

Hujus vero communis hominum societatis plures sunt gradus, ut alius alio nobis propior magisque conjunctus sit; quos gradus eleganter accurateque discernit Cicero (2). Sed quamquam omnia sunt communia hominum, est tamen jus proprietatis, ut, quamquam a natura ipsa nihil sit singulis hominibus proprium atque privatum, fiant tamen quaedam privata et in propriam singulorum possessionem concedant, vel veteri occupatione, vel victoria, vel lege, pactione, conditione, sorte (3); quam sententiam ejusmodi similitudine explicat Cato (4): „Sed, quemadmodum, theatrum ut commune sit, recte tamen dici potest, ejus esse eum locum, quem quisque occuparit: sic in urbe mundove communi non adversatur jus, quo minus suum quodque cujusque sit.” Porro ad communionem generis humani voluerunt esse communia ὠφελήματα et βλάμματα, *emolumenta* et *detrimenta*, itemque εὐχρηστήματα et δυσχρηστήματα, *commoda* et *incommoda*. Ita Cato pronunciat apud Ciceronem (5), quod e-

(1) Cic. de Fin. III, 20, D. L. VII, § 130, Stob. Ecl. Eth. p. 186. (2) De Off. I, 16, 17. (3) Cic. de Off. I, 7. (4) De Fin. III, 20. (5) De Fin. III, 21.

Stobaeo ita videtur exponendum, ut, qui alteri bonum vel malum, commodum vel incommodum inferat, is sibi ipse idem inferat. Pertinent vero τὰ ὠφελήματα et τὰ βλάμματα ad virtutem et vitium, seu ad bona et mala; τὰ εὐχρηστήματα vero et τὰ δυσχρηστήματα ad res medias et indifferentes. Ceterum in his est graduum diversitas, ut aliud alio majus minusve esse possit; non item in illis, quippe quae sunt paria omnia et aequalia, quod est decretum Stoicorum tractatum a Cicerone Paradoxon tertio, cujus hoc est argumentum: aequalia esse peccata et recte facta [1]. Sed in societate hominum summum et altissimum est ea animorum consensio, quae amicitia dicitur, quae nisi inter sapientes esse nequit; unde ipsa non in commodis seu praepositis, sed in bonis ponitur. De qua ita praeceperunt Stoici ut amicitiae excellentiae et sanctitati satisfecisse videantur [2].

Jura sunt igitur hominum vel erga deos vel erga homines, erga bestias vero nulla. Nam Stoici, ut inquit Cato [3], putant homini nihil juris esse cum bestiis; praeclare enim Chrysippus

---

(1) D. L. VII, § 120, Stob. Ecl. Eth. p. 236, Lips. Man. ad Stoic. phil. III, diss. 21. (2) Videantur Cic. de Fin. III, 21, de Off. I, 17, Tusc. IV, 34, Sen. de Ira III, 24, Epp. 3, 48, D. L. VII, § 124, Stob. Ecl. Eth. p. 186 sq., et praesertim Ciceronis liber de Amicitia, quo, quamquam Aristotelem et Theophrastum videatur imitatus, plurima tamen e Stoicorum fontibus protulit. (3) Cic. de Fin. III, 20.

cetera nata esse hominum et deorum caussa, hos autem communitatis et societatis suae, ut bestiis homines sine injuria uti possint ad utilitatem suam ([1]).

Denique Stoici posuerunt quaedam in officiis aliena a communi hominum sensu, quae partim ad sapientem, partim ad vulgares homines spectant. Haec sunt ejusmodi: *Sapientem non ignoscere, nec misericordia affici* ([2]). *Vino quidem, si poscat tempus, abunde uti, non vero inebriari* ([3]). *Cynicam vitam sequetur, si locus et tempus postulaverit* ([4]). *Humana carne vesci non esse nefas*, quin praestare parentum adeo mortuorum carnes edere, et ad certum usum convertere, quam vermibus edendas relinquere ([5]). *Mulieres debere esse communes in bene constituta re publica*, ita enim et adulterium nullum fore, et simul cum adulterio repressum iri suspiciones aemulationis et rivalitatis quae e metu et opinione adulterii nascantur, et propter ignorationem suorum cujusque liberorum futurum, ut senior quisque juniorem tanquam filium amet, junior item seniorem quemque ut patrem colat ([6]). *Non esse nefas*

([1]) D. L. VII, § 129, Porphyr. de Abst. I, § 4. ([2]) D. L. VII, § 123, Stob. Ecl. Eth. p. 190, Sen. de Clem. II, 4 sqq. ([3]) D. L. VII, § 118, Sen. Ep. 73, 174. ([4]) Cic. de Fin. III, 20, D. L. VII, § 121. ([5]) D. L. VII, § 121, Sext. Emp. Hyp. Pyrrh. III, § 247, adv. Eth. XI, § 193. ([6]) D. L. VII, § 131. Cff. Cic. de Fin. III, 20, Hor. Sat. I, 2, 31 sqq.

parentes cum liberis conjugia contrahere, veluti Oedipodem cum Jocasta; nam et in animalibus brutis hoc apparere, in quibus tanquam in speculo naturae lex conspiceretur. De ipsa denique libidine venerea sedanda ita pronuntiabant, ut spurcitiei et flagitiorum praecepta dare viderentur (1).

Ut omnes virtutes omniaque bona sapienti tribuebant, ita omnia vitia omniaque mala insipienti; cujus rei exempla et explicatio petantur e Ciceronis paradoxis (2). Totum locum breviter complexus est Cato (3): „Quam gravis vero", inquit, „quam magnifica, quam constans conficitur persona sapientis! qui, quum ratio docuerit, quod honestum esset, id esse solum bonum, semper sit necesse est beatus, vereque omnia ista nomina possideat, quae irrideri ab imperitis solent. Rectius enim appellabitur rex, quam Tarquinius, qui nec se, nec suos regere potuit: rectius magister populi, (is enim est dictator,) quam Sulla, qui trium pestiferorum vitiorum luxuriae, avaritiae, crudelitatis magister fuit: rectius dives, quam Crassus, qui, nisi eguisset, numquam Euphratem, nulla belli caussa, transire voluisset. Recte ejus omnia dicentur, qui scit uti

(1) D. L. VII, § 188, Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. III, § 246, adv. Eth. XI, § 191; Plut. de Rep. Stoic. p. 1044 F, 1045. (2) Cf. Lipsius Manud. ad Stoic. phil. libro tertio. (3) De Fin. III, 22.

solus omnibus; recte etiam pulcher appellabitur; animi enim lineamenta sunt pulchriora, quam corporis: recte solus liber, nec dominationi cujusquam parens, neque obediens cupiditati: recte invictus; cujus etiam si corpus constringatur, animo tamen vincula injici nulla possint. Neque exspectet ullum tempus aetatis, ut tum denique judicetur, beatusne fuerit, quum extremum vitae diem morte confecerit: quod ille unus e septem sapientibus non sapienter Croesum monuit. Nam si beatus unquam fuisset, beatam vitam usque ad illum a Cyro exstructum rogum pertulisset. Quod si ita est, ut neque quisquam, nisi bonus vir, et omnes boni beati sint: quid philosophia magis colendum, aut quid est virtute divinius?" Haec igitur tam magnifice de sapiente dicta, quamquam ut dicuntur sunt paradoxa, Cicero singulari eoque elegantissimo libello ad hominum captum accommodavit. Et vero caussa ratioque horum decretorum talis est: virtus sola omnia possidet bona et est veluti recta via, a qua si deflectas, miser sis, neque refert utrum longius propiusne ab ea discesseris. Scite hanc sententiam explicuit Horatius (1) his versibus:

Quem mala stultitia et quemcunque inscitia veri
Coecum agit, insanum Chrysippi porticus et grex
Autumat. Haec populos, haec magnos formula reges
Excepto sapiente, tenet. Nunc accipe, quare

---

(1) Sat. II, 3, 43 sqq.

Decipiant omnes, aeque ac tu, qui tibi nomen
Insano posuere. Velut sylvis, ubi passim
Palantes error certo de tramite pellit;
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit, unus utrique
Error, sed variis illudit partibus: hoc te
Crede modo insanum, nihilo ut sapientior ille
Qui te deridet caudam trahat.

Et sapientiam eam, quam Stoici volebant, eamque beatitudinem in hominem vix cadere aut parva de caussa turbari, festive idem notat Horatius [1]:

Sapiens uno minor est Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum,
Praecipue sanus, nisi quum pituita molesta est.

Porro si semel haec lex statuatur, regem esse neminem nisi qui regere sciat, nemo autem regere scit nisi sapiens, consequitur multos, etiamsi regna habeant regesque salutentur, tamen non esse reges. Ut enim tibicen nemo est, etiamsi tibias habeat, quum iis uti nesciat; ita qui tibiis uti scit, tibicen est, etiamsi nullas habeat tibias. Huc redit Horatii disputatio [2]:

Non nosti, quid pater (inquit)
Chrysippus dicat: sapiens crepidas sibi numquam
Nec soleas fecit, sutor tamen est sapiens. — Quo? —
Ut quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque
Optimus est modulator: ut Alfenus vafer, omni
Abjecto instrumento artis clausaque taberna,
Tonsor erat: sapiens operis sic optimus omnis
Est opifex solus, sic rex. — Vellunt tibi barbam
Lascivi pueri; quos tu nisi fuste coërces,
Urgueris turba circum te stante miserque
Rumperis et latras, magnorum maxime regum.

---

(1) Epp. I, 106 sqq. (2) Sat. I, 3, 126 sqq.

Ex hac descriptione Stoicorum doctrinae, quamvis universe et summatim traditae, apparet, eos totam philosophiam ad sapientiam et vitam beatam retulisse. Itaque vidimus dialectica parte veri traditum esse judicium, ut sapiens ab errore tutus esset: physica de mundo ejusque partibus et attributis ac de Deo ejusque providentia expositum esse, ut, cognita rerum divinarum humanarumque natura, sapiens ea sibi assumeret, quae ad finem beatae vitae ducant: morali denique parte virtutis naturam ejusque consequendae rationem explicitas esse, quae virtus quamquam ita sublimi arduoque collocata sit loco, ut humanae quidem vires ad eam eniti vix possint, tamen ipsa virtutis consequendae ratio a Stoicis tradita, multa habet eaque verissima praecepta, quibus animus a vitiis purgetur et propius ad virtutem et vitam beatam extollatur (1).

(1) Praeter scriptores quos passim jam attuli, Stoicorum doctrinam moralem separatim exposuerunt: auctor operis Moral Phil. of the Stoiks, Lond., 1598: Scioppius, Elem. Stoic. phil. mor., Mogunt., 1606: G. A. Hagedorn, Mor. Chrys. ex rer. nat. pet., Altdorf, 1635: J. C. Hagedorn, Eth. Chrys., Nürnb., 1715: du Vair, la phil. mor. des Stoïc.: Erckius, τὰ τοῦ Ἐπικτήτου ὑπέρσοφα καὶ ἄσοφα, circa off. hom. erga se quoad anim. col., Lips., 1716: Jo. Foster, enarr. et comp. doct. moral. Epic. et Stoic., Lond., 1758: J. A. L. Wegscheider, Eth. Stoic. recent. fund. ret., Hamb., 1797, Lips., 1818: F. G. Lilie, de Stoic. phil. mor. comm. I, Altona, 1800: H. Kunhardt, die Hauptmom. der Stoisch. Sittenl. nach Epict. Handb., in dem neuen Mus. der Phil. und Lit. von Bouterwek, B. I und II: Gruber, Stoic. sent. de moribus, Turici, 1837.

CAPUT II.

SAPIENTIS INFORMATIO.

Totam Stoicorum philosophiam amplectitur sapientis quae dicitur informatio, per omnes ejus partes longe lateque diffusa, ut eorum doctrina sit velut aedificium soli sapienti, undique perfecto et absoluto, exstructum et accommodatum. Reprehensione igitur dignus videtur Buddeus, qui Stoicorum errores sibi recensere visus, ipse in eo maxime errat, quod Stoicos ita proponit, ac si vulgaris hominis, non eximii et paene divini effigiem finxissent.

Quamquam fatendum sit talem, qualem Stoici sapientem informarent, numquam exstitisse (1),

(1) Cic. in Lael. c. 2, Acad. II, 47, de Off. III, 4, Plut. adv. Stoic. p. 1076 B. Cf. Lips. Man. ad Stoic. Phil. II, diss. 8.

tamen ad eum plerosque tetendisse, tanquam ad exemplar sibi a summis philosophis propositum, non diffitendum est; nec vere aliud sibi voluisse Stoicos constat, quam ut eorum discipuli, licet summum illud fastigium non attingerent, tamen eniterentur ut propositum iis exemplum sequerentur sive speciem sapientiae imitarentur et adumbrarent. Hinc incredibilia Stoici de suo sapiente praedicabant, videlicet uno horae momento ex insipiente sapiens quis fieri possit, modo ad eorum decreta se retulerit (1). Mirum et illud videri possit, multos insignes Stoicos numquam se sapientes professos esse; quod de Panaetio Seneca (2), de Chrysippo Plutarchus (3), testantur: hic quidem his verbis: Καὶ μὴν οὔθ' αὑτὸν ὁ Χρύσιππος ἀποφαίνει σπουδαῖον, οὔτε τινὰ τῶν αὐτοῦ γνωρίμων ἢ καθηγεμόνων. Fuerunt tamen inter Stoicos qui talem qualem informarent sapientem revera exsistere posse sibi visi sunt: „Non est quod dicas", ut ait Seneca (4), „ita, ut soles, hunc sapientem nostrum nusquam inveniri. Non fingimus istud humani ingenii vanum decus, nec ingentem imaginem falsae rei concipimus, sed qualem confirmamus, exhibuimus, et exhibebimus. Raro forsitan, magnisque aetatum intervallis invenitur; neque enim magna, et excedentis solitum ac vulgarem modum, crebro gignun-

(1) M. Ant. IV, § 16, Plut. de absurd. Stoic. opin. p. 1057 E, F. (2) Ep. 116. (3) de Rep. Stoic. p. 1048 E. (4) Sen. de Const. Sap. c. 7. Cf. Ep. 42 init.

tur: ceterum, hic ipse M. Cato — vereor ne supra nostrum exemplar sit."

Totum doctrinae praesertim consequens et consentaneum est Stoicorum ad sapientiam progressio, ad quam non statim, sed sensim accedere homines censebant. Duplicem hinc sapientem faciebant: alterum τέλειον, *consummatum* ([1]), vel τετελειωμένον ([2]), *adeptum sapientiam* ([3]); alterum προκόπτοντα ([4]), *proficientem* ([5]), *ad summa procedentem* ([6]), etiam ἀρχόμενον παιδεύεσθαι vel ἤδη ποσῶς προκεκοφότα ([7]), *inchoatum*, *jam aliquantum progressum* ([8]), et φιλοσοφίας ἐπιθυμοῦντα ([9]), *sapientiae studiosum* ([10]); quam distinctionem in primis tenuerunt Epictetus ([11]) et Seneca ([12]). Hoc autem interest inter utrum-

---

(1) Sen. Ep. 72. (2) Epict. Ἐγχ. c. 5, Simpl. ad Epict. p. 67, 99. (3) Sen. de Vit. Beat. c. 24. Cf. Ep. 109. (4) Προκόπτειν Stoicis non tam dicitur is, qui in addiscendis Stoicae disciplinae placitis profecit, quam qui in virtute, et in disciplinae praeceptis ad vitae usum adhibendis, seque ad ea componendo jam aliquantum progressus est: inchoatus quasi et jam vicinus sapienti. Cf. Heynius ad Epict. c. 12, § 1. Hac voce maxime usus est Chrysippus, ut apparet e Stobaeo, Serm. Cf. (5) Sen. Ep. 71. (6) Sen. Ep. 72. (7) Epict. Ἐγχ. c. 5, Simpl. ad Epict. p. 67, 137, 141, 260, 300, 318. (8) Sen. Epp. 16, 71. (9) Simpl. ad Epict. p. 137, 141, 260. (10) Sen. de Vit. Beat. 11. (11) Ἐγχ. c. 48, § 2, c. 50, § 3. (12) „Nostrum vitium est", ut ait Seneca, Ep. 71, „qui quod dicitur de sapiente, exigimus et a proficiente".

que genus quod inter sanum et e morbo gravi ac diutino emergentem, cui sanitatis loco est levior accessio. Hic, nisi attendit, subinde gravatur, et in eadem revolvitur. Sapiens recidere non potest, ne incidere quidem amplius ([1]). Stoicos proficientium item tres statuisse gradus auctor est Seneca ([2]): Primi sunt, qui sapientiam nondum habent, sed jam in vicinia ejus constiterunt: qui omnes jam affectus ac vitia posuerunt, quae erant complectenda didicerunt; sed illis adhuc inexperta fiducia est, bonum suum nondum in usu habent. Secundum genus est eorum, qui et maxima animi mala et affectus deposuerunt, sed ita ut non sit illis securitatis suae certa possessio; possunt enim in eadem relabi. Tertium illorum, qui extra multa et magna vitia sunt, sed non extra omnia: effugiunt avaritiam, sed iram adhuc sentiunt: jam non sollicitantur libidine, sed habent etiamnunc ambitionem: jam non concupiscunt, sed adhuc timent, et in ipso metu ad quaedam satis firmi sunt, quibusdam cedunt: mortem contemnunt, dolorem reformidant.

Sapientiam Stoici, Aristotelis et Peripateticorum definitionem secuti, vocarunt scientiam rerum humanarum et divinarum earumque caussarum ([3]), sive humanae mentis perfectum bonum, cujus amor et affectatio sit philosophia ([4]), quae ipsa

---

([1]) Sen. Ep. 72. ([2]) Ep. 75. ([3]) Cic. de Off. I, 43, II, 2, Sen. Epp. 88, 90, Plut. de Plac. Phil. I, 1, p. 874 D. ([4]) Sen. Ep. 89.

est exercitatio artis ad sapientiam accommodatae (1). Philosophia ostendit quo sapientia pervenit: sapientia affectatur, affectat philosophia: illa hujus est effectus et praemium: haec venit, ad illam itur. Philosophiae igitur finem sapientiam, sapientiae virtutem, virtutis τὸ ἕπεσθαι τῷ θεῷ esse statuerunt (2).

Stoicorum effata et decreta vulgo nomine *παραδόξων* celebrantur, non propter id quod Plutarchus (3) Stoicis objicit τὸ μετ εὐκολίας δέχεσθαι τὴν ἀτοπίαν, sed quia praeter opinionem multorum sunt et prius inaudita novitatem habent vel admirationem movent; unde etiam merito a Cicerone (4) et Seneca (5) *mirabilia*, *admirabilia*, *inopinata* dicuntur. Licet omni aevo plures exstiterint, qui, ut Plutarchus (6), paradoxa tanquam absurdiora ipsis poëtarum fabulis rejicerent vel εἰς τὴν τῶν ἑώλων καὶ ψυχρῶν ἀγορὰν (7) demittenda esse censerent, confitendum tamen, si ad eorum nexum cum reliqua Stoicorum doctrina attendamus, ea minime *παράλογα*, sed cum Cicerone (8) *longe verissima* esse dicenda.

Quemadmodum Stoici, ut jam vidimus, totam philosophiae distributionem ita ordinarunt, ut in

---

(1) Plut. l.l. Cf. Sen. Ep. 94 et Cic. Tusc. I, 26. (2) Aristo sapientiam et virtutem idem esse censebat. Cf. Galenus, de dogm. Hipp. et Plat. V, p. 291 ed. Bas. (3) Adv. Stoic. p. 1060 B. (4) Acad. II, 44, de Fin. IV, 27. (5) Ep. 81. (6) De absurd. Stoic. opin. p. 1058 C. (7) Adv. Stoic. l.l. (8) In praef. ad Parad.

omnibus ejus partibus progressionem quandam ad sapientiam et virtutem, tanquam ultimum finem, animadvertere liceat, sic quoque in suis decretis vel paradoxis, quae tanquam praecepta suis discipulis proposuerunt, ordinem quendam et progressionem secuti sunt, ita ut gradatim, pro eorum captu, a sapientiae initiis ad provectiora procederent, nec nisi sensim ad ea praecepta ducerent, quae solus consummatus sapiens intelligere et ad suos usus convertere poterat. Quamquam ob Stoicorum librorum jacturam difficile sit dictu quemnam ordinem secuti sint, tamen verisimile est eos sua dogmata, a facilioribus et ad vulgarem captum magis accommodatis ad difficiliora et ex intima philosophiae scientia explicanda progressos, pro subjecto iis argumento distinxisse et adaptasse.

Ad primum genus spectant talia, qualia fere et alii philosophi sibi vindicarunt, nec propterea Stoicis molesti fuerunt, vel eos lacessiverunt et ludibrio habuerunt, veluti: Μόνον τὸ καλόν, ἀγαθόν. Τὸ ἀγαθόν, αἱρετόν. Τὸ αἱρετόν, ἀρεστόν. Τὸ ἀρεστόν, ἐπαινετόν. Τὸ ἐπαινετόν, καλόν. Τὸ ἀγαθόν, χαρτόν. Τὸ χαρτόν, σεμνόν. Τὸ σεμνόν, καλόν (1). Μήτε φαῦλον ἀρετῇ προσεῖναι, μήτε κακίαν χρηστόν (2). Τὸ κατὰ κακίαν ...

(1) Chrysippi decretum apud Plut. de Rep. Stoic. p. 1039 C, Cf. D. L. VII, § 101. (2) Plut. de Aud. Poet. p. 25 A.

καὶ ἀθλίους [illegible] (¹). — Τὸ μὲν κακῶς σοφιστάς ποιεῖν κακοδαίμονας, εὐθὺς δὲ ἂν παρῇ, τὰ ἀγαθὰ ἐπ' ἄκρον εὐδαίμονας (²). — *Sapientes esse pares et aequales* (³).

— Quum Stoici hominibus divinam quandam naturam tribuerent et sapientibus cum diis aliquod consortium esse statuerent, talia praedicabant: *Mundum esse deorum et sapientium commune domicilium* (⁴). — *Sapientem esse Deo parem* (⁵). — Κατὰ τὸν λόγον τὸν σοφὸν εἶναι οὐδὲ χείρονα τῶν θεῶν οὐδὲ μικρότερον (⁶). — *Inter sapientem et Deum amicitiam esse, imo necessitudinem et similitudinem* (⁷). — *Sapientem Dei discipulum esse, aemulatorem, veram progeniem* (⁸); *Dei socium et membrum* (⁹); τῶν θεῶν συμπότην (¹⁰). — *Sapientem tempore tantum a Deo differre* (¹¹). — Τὴν τῶν ἀγαθῶν εὐδαιμονίαν μὴ διαφέρειν τῆς θείας εὐδαιμονίας, μηδὲ τὴν ἀμεριμνίαν διαφέρειν τῆς τοῦ Διὸς εὐδαιμονίας (¹²). — *Sapientem nulla re nisi*

(¹) Chrysippi effatum apud Plut. de Rep. Stoic. p. 1042 A. (²) p. 1042 E. (³) Sen. Ep. 79. (⁴) Supra p. 35 sqq. (⁵) Cf. Sen. de Const. Sap. c. 8, et Ep. 73. (⁶) Arrian. ad Epict. I, 12. (⁷) Sen. de Prov. c. 1, Epict. Ἐγχ. c. 15. (⁸) Sen. l. c. Arrian. ad Epict. I, 9. (⁹) Sen. Ep. 92. (¹⁰) Epict. Ἐγχ. c. 15. (¹¹) Sen. de Prov. c. 1. (¹²) Stob. Ecl. Eth. p. 198. Chrysippi decretum, qui apud Plutarchum adv. Stoic. p. 1076 A. B. hac comparatione utitur: Ἀρετῇ τε γὰρ οὐχ ὑπερέχειν τὸν Δία τοῦ Δίωνος, ὠφελεῖσθαί τε ὁμοίως ὑπ' ἀλλήλων τὸν Δία καὶ τὸν Δίωνα

immortalitate a Jove superari (¹). — *Esse aliquid, quo sapiens antecedat Deum: ille naturae beneficio, non suo sapiens est* (²). — Θεοσεβεῖς τοὺς σπουδαίους εἶναι, sapientes esse pios et reverentes erga deos (³). — Ἐμπείρους τῶν περὶ θεῶν νομίμων (⁴). — Μαντικὸν μόνον εἶναι τὸν σπουδαῖον (⁵). — Εὔξεσθαι τὸν σοφόν, αἰτούμενον τὰ ἀγαθὰ παρὰ τῶν θεῶν (⁶).

De sapientium virtutibus animique excellentia praeter alia haec in primis paradoxa celebrarunt: *Sapientem esse omnibus virtutibus instructum*, φρόνιμον, δίκαιον, ἀνδρεῖον, σώφρονα, βέβαιον (⁷). — Τὸν σοφὸν πάντας εὖ ποιεῖν (⁸). — *Solum sapientem in se totum esse conversum* (⁹). — *Solum sapientem esse liberum*, ἐλεύθερον (¹⁰), *invi-*

σοφοὺς ὄντας, ὅταν ἕτερος θατέρου τυγχάνῃ κινουμένου· τοῦτο γάρ ἐστιν ὃ καὶ παρὰ θεῶν ἀγαθὸν ἀνθρώποις ὑπάρχει, καὶ θεοῖς παρὰ ἀνθρώπων, σοφῶν γενομένων, ἄλλο δὲ οὐδέν· ἀρετῇ δὲ μὴ ἀπολειπόμενον ἄνθρωπον, οὐδὲν ἀποδεῖν εὐδαιμονίας λέγουσιν, ἀλλ' ἐπίσης εἶναι μακάριον τῷ Διὶ τῷ σωτῆρι τὸν ἀτυχῆ, διὰ νόσους καὶ πυρώσεις σώματος ἐξάγοντα τοῦ ζῆν ἑαυτόν, εἴπερ εἴη σοφός. (¹) Cic. de N. D. II, 61. (²) Sen. Ep. 53. (³) D. L. VII, § 119. Cf. M. Ant. VII, § 66. (⁴) D. L. VII, § 119. (⁵) Stob. Ecl. Eth. p. 238. (⁶) D. L. VII, § 124. Decretum Posidonii et Hecatonis. (⁷) Plut. de Anim. Tranq. p. 472 A, de absurd. Stoic. opin. p. 1058 B. Cf. Sen. Ep. 113. (⁸) D. L. VII, § 125. (⁹) Cic. de Fin. III, 7, Sen. de Const. Sap. c. 4. (¹⁰) Cic. Parad. V., D. L. VII, § 121 sq., Simpl. ad Epict. Ἐγχ. c. 3, p. 37. Sapiens a Stoicis dicitur ἀνεκβίαστος,

ctum ([1]), ἀνίκητον ([2]), ἀκατάμαχητον ([3]), ἀήττητον, ἀκαταγώνιστον ([4]). — Ὁ σοφὸς οὔτε ἀναγκάζεται ὑπό τινος οὔτε ἀναγκάζει τινά, οὔτε κωλύεται οὔτε κωλύει, οὔτε βιάζεται ὑπό τινος, οὔτε αὐτὸς βιάζει τινά, οὐ δεσπόζει οὔτε δεσπόζεται ([5]). — *Sapientem se ipso esse contentum* ([6]); αὐτάρκη εἶναι ([7]). — *Sibi esse parem* ([8]). — *Semper idem velle atque idem nolle* ([9]). — *Numquam facti sui poenitere, nec unquam emendare quod fecerit, nec mutare consilium* ([10]). — Οὔτε κακῶς περιπίπτειν, οὔτε ἀπατᾶσθαι, οὔτε ἐξαπατᾶν ἄλλον, οὔτε διαψεύδεσθαι ([11]). — Μὴ ψεύδεσθαι ([12]). — *Nihil ei contra opinionem accidere* ([13]). — Τὸν σοφὸν οὐδὲν θαυμάζειν τῶν δοκούντων παραδόξων ([14]). — Στήσεσθαι καὶ

ἀκώλυτος, ἀνεμπόδιστος, ἀπαραπόδιστος: insipiens vero κωλυτος, ἐμπόδιστος, παραπόδιστος, quae voces saepius in Stoicorum scriptis occurrunt. Cf. in primis Arrian. ad Epict. IV, 1. De hoc paradoxo exstat liber Philonis Judaei, πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον. ([1]) Sen. de Const. Sap. c. 2. ([2]) Epict. Ἐγχ. c. 19. Simpl. ad Epict. p. 131. ([3]) M. Ant. VIII, § 48. ([4]) Stob. Ecl. Eth. p. 200. ([5]) Stob. l. l. ([6]) Sen. Ep. 9. ([7]) Plut. adv. Stoic. p. 1068 B. Placitum hoc jam ab Antisthene celebratum fuit. Cf. D. L. VI, § 11. ([8]) Cff. quos laudat Lips. Man. ad Stoic. Phil. III, diss. 5. ([9]) Sen. Ep. 20. ([10]) Sen. de Benef. IV, 34. Cic. pro Mur. c. 29. Stob. Ecl. Eth. p. 234. ([11]) Stob. Ecl. Eth. p. 200. Sext. Emp. adv. Log. VII, § 34 sqq. ([12]) Stob. l. l. et p. 230. ([13]) Sen. de Benef. IV, 34. Cf. Ep. 76. ([14]) D. L. VII, § 123. Athen. Deipn. VI, p.

ἡσυχάζειν (1). — *Sapientem plenum gaudio, hilarem et placidum esse* (2). — Τὸν σοφὸν πρᾶον, ἡσύχιον, κόσμιον; mansuetum, tranquillum, modestum, fastu vacantem (3). — Τὸν σοφὸν ἀπαθῆ εἶναι, perturbationibus vacuum (4), [illegible] sum (5); ἀκίβδηλον, sincerum (6). — *Sapientem non misereri, gratia numquam moveri, non exorari, non placari, non ignoscere* (7). — *Sapientem non cadere in aegritudinem* (8). — Τὸν σοφὸν ἀνύβριστον εἶναι, οὔτε γὰρ ὑβρίζεσθαι, οὔτε ὑβρίζειν (9). — *Sapientem non irasci* (10). —

---

233 B. Cadit etiam in sapientem Horatianum illud Epp. I, 6 ab init.:

> Nil admirari prope res est una, Numici,
> Solaque quae possit facere et servare beatum.

(1) Sext. Emp. adv. Log. VII, § 416; cum quo loco cf. Pyrrh. Hyp. II, § 253, Cic. Acad. II, 29, Persius, Sat. VI, 79. (2) Sen. Ep. 59. Cf. Lips. Man. ad Stoic. Phil. III, diss. 5. (3) Stob. Ecl. Eth. p. 240, D. L. VII, § 117, M. Ant. VII, § 68, VIII, § 28. (4) D. L. l. l. (5) Sen. Ep. 59. (6) D. L. VII, § 118. (7) Cic. pro Mur. c. 29. Cf. supra p. 158. (8) Sen. de Clem. II, 5. (9) Stob. Ecl. Eth. p. 226. Sen. de Ira II, 32, de Const. Sap. c. 2 sqq. et 14 sq. Ratio et vis hujus placiti exponuntur a Simplicio ad Epict. p. 134 et 302 et a Musonio in sermone an philosophus actionem injuriarum adversus aliquem suscipere possit? Cf. Stob. Flor. p. 169, ed. Gesn. ubi pro ταύτῃ ἢ ἐκείνῃ οἴεται legendum ταύτῃ ἢ ἐκείνῃ οἴεται. Hoc decretum etiam a Cynicis celebratum fuit. Cf. D. L. VI, § 54. (10) Cic. pro Mur. c. 30. Cf. supra p. 115 sq. Huic placito non-

Τὸν σοφὸν [illegible] ἀπαθῆ [illegible]
[illegible] et placidum esse (²). — Τὸν σοφὸν [illegible]

De sapientis ingenii praestantia mentisque dotibus talia effata feruntur. Πάσας καταλήψεις ἐν τῷ σοφῷ [illegible] ἀσφαλῆ καὶ βέβαιον [illegible] καὶ ἀγαθὸν μέγα καὶ μέγιστον (²) [illegible]. Sapientem omnium artium doctrinarumque esse peritum atque artium inventorem (³). — Τοῦ σοφοῦ εἶναι ὀρθῶς διαλέγεσθαι καὶ διαλογίζεσθαι, καὶ τοῦ αὐτοῦ πρός [illegible] τὸ ἐρωτώμενα ἀποκρίνασθαι (⁴) [illegible]. Μόνον (⁵) τὸν [illegible]

---

nulli Stoici adjiciebant: *nisi dii mentem ei adimant:* praeceptum ab Homero ductum, deinde etiam ab aliis poetis celebratum, ut Euripide, in Hipp. v. 1413 sq.:

Ἱπ. Τί δ'; [illegible]

Θη. Δόξης γὰρ ἡμᾶν πρὸς θεῶν ἐσφαλμένοι.

(¹) Supra p. 138. Cfr. Stob. Ecl. Eth. p. 224, Sen. Ep. 85. Quod effatum Persaeus impugnavit apud Athen. Deipn. XIII, p. 607 B, ubi vide Casaub. (²) Plut. adv. Stoic. p. 1061 C, D. (³) Huc spectat quod annotavit Wyttenbachius, in vita Ruhn. p. 294. Consulendus etiam est Seneca, Ep. 90, qui Posidonii sententiam, artes omnes a philosophia inventas esse et excultas, impugnat; eo quoque referri potest illud dictum, apud D. L. VII, § 129: sapientem eos adolescentes amaturum, qui prae se ferant indolem generosam ingeniumque ad virtutem propensum, quod ajunt Zeno in libro περὶ τῆς πολιτείας, Chrysippus in primo περὶ βίων et Apollodorus in libro περὶ τῆς ἠθικῆς. (⁴) D. L. VII, § 48. Cfr. § 47 et 83, ibique Menagius, et Cic. de Fin. III, 21. Ab hoc tamen placito multi recesserunt; Aristo Chius rationes dialecticas similes

ῥήτορα (¹), ποιητήν (²), ἰατρὸν εἶναι (³). — Πάντ' εὖ ποιεῖν τὸν σοφόν, ἃ ποιεῖ δῆλον. (⁴). — *Sapientem omnia quam facillime tractare* (⁵). — Non

---

esse dicebat aranearum telis, quae, etsi quid artificiosum indicare videantur, inutiles sunt, D. L. VII, § 161. Ipse tres libros in dialecticos scripsit, ejusque dicteria quaedam exstant apud Stobaeum, Serm. LXXX. Dialecticen item neglexerunt Seneca, Epictetus et M. Antoninus. (1) D. L. VII, § 122, Plut. de Anim. Tranq. p. 472 A. (2) Plut. l. l. (3) Stob. Ecl. Eth. p. 222. (4) Stob. Ecl. Eth. p. 120. Quod effatum Sophilus comicus, apud Athen. Deipn. IV, p. 168 A, ita irridebat: Στωϊκὸν δόγμα ἐςίν, ὅτι πάντα εὖ ποιήσει ὁ σοφός· καὶ φακῆν φρονίμως ἀρτύσει. Alii hoc placitum per jocum hoc modo proponebant: sapientem omnia recte facere, etiam digitum exserendo. Cf. Lips. Man. ad Stoic. Phil. III, diss. 15. (5) Cic. pro L. Corn. Balbo, c. 4. Hoc effatum, ut monet Wyttenbachius, in vita Ruhnkenii, p. 266 et in annott. p. 294, non universe referendum est ad illud Stoicorum, sapientem omnium artium doctrinarumque esse peritum, sed ad peculiare decretum de εὐκολίᾳ, quae, ut virtus, medium tenebat inter δυσκολίαν, quae curis nimium, et εὐχέρειαν, quae parum afficitur. Τὴν εὐκολίαν, vitae actionumque facilitatem, etiam vocabant εὔροιαν, prosperum vitae cursum, vel, ut Seneca, Ep. 120, „beatam vitam, secundo defluentem cursu, arbitrii sui totam", et de Tranq. Anim. c. 2, „animum semper aequalem, secundo cursu euntem, sibi propitium, suaque laetum adspicientem." Stobaeus, in Ecl. Eth. p. 138, Zenonem ait τὴν εὐδαιμονίαν definivisse εὔροιαν βίου, eaque definitione etiam usos esse Cleanthem, Chrysippum eorumque discipulos. Universe voces εὔροια et δύσροια, εὐροεῖν et δυσροεῖν Stoicis admodum erant frequentatae, ut maxime apparet ex Arriano ad Epictetum.

opinari (1); *non ignorare* (2); *non insanire* (3).

Ratione habita actionum et negotiorum vitae publicae decreverunt: Μόνον τὸν σοφὸν βασιλέα τε καὶ βασιλικὸν εἶναι (4). — Τὸν σοφὸν συμβιώσεσθαι βασιλεῖ καὶ στρατεύσεσθαι μετὰ βασιλέως (5). — *Solum sapientem esse civem, magistratum, praetorem, judicem* (6). — Πολιτεύεσθαι τὸν σοφὸν ἂν μή τι κωλύῃ (7). — Ἀξιωματικὸν εἶναι, dignitate ple-

---

(1) Cic. Acad. II, 24, 38, D. L. VII, § 121. Persaeus tamen hoc decretum impugnavit. Cf. D. L. VII, § 162. (2) Lips. Man. ad Stoic. Phil. III, diss. 8. Cf. Sen. Ep. 76. Cum hoc placito consentit Cynicorum illud: Τῷ σοφῷ ξένον οὐδέν, οὐδ' ἄπο, apud D. L. VI, § 12, ubi Menagius nihil mutandum censet; rectius tamen Henricus Stephanus οὐδ' ἄπορον, nisi cum praecedenti voce ξένον magis conveniat ἀπόῤῥητον, arcanum, reconditum. (3) Lipsius, Man. ad Stoic. Phil. III, diss. 18. Cf. D. L. VII, § 118. Stoicorum placitum, omnes excepto sapiente insanire, perstringit Horatius, Sat. II, 3, et ostendit eos etiam insanire qui hoc docent. (4) Stob. Ecl. Eth. p. 222, Cic. Acad. II, 44, Plut. de Rep. Stoic., de absurd. Stoic. opin. et adv. Stoic. passim, et quae plura attulit Lips. op. l. III, diss. 13. Musonius, apud Stob. in Flor. p. 497, censebat oportere reges etiam philosophari. (5) Plut. de Rep. Stoic. p. 1043 C, 1047 F, Stob. Ecl. Eth. p. 228. (6) Lips. Man. ad Stoic. Phil. III, diss. 17, Plut. de Anim. Tranq. p. 472 A. (7) Ut ait Chrysippus libro primo περὶ βίων. Cff. D. L. VII, § 121, Stob. Ecl. Eth. p. 184, 224. — Plut., de Rep. Stoic. p. 1034 B, aliud illi dissimile Chrysippi dictum refert ex ejus libro περὶ ῥητορικῆς: Οὕτω ῥητορεύσειν καὶ

num [1]. — Μόνον τὸν σοφὸν νόμιμον εἶναι καὶ νομικόν, — Κλεισθένη καὶ Λυκοῦργον καὶ Σόλωνα φαύλους καὶ ἀνοήτους γεγονέναι [2]. — *Scripta* Lycurgi, Solonis, *duodecim tabulas, non esse leges; ne urbes denique aut civitates, nisi quae essent sapientium* [3].

Ad sapientis vitam privatam praecipue haec Stoicorum effata pertinere videntur: Κυνιεῖν τὸν σοφόν, ἴσον τῷ ἐπιμένειν τῷ κυνισμῷ, οὐ μὴν σοφὸν ὄντα ἐνάρξασθαι τοῦ κυνισμοῦ, *Cynicorum rationem atque vitam cadere in sapientem, si quis ejusmodi forte casus inciderit, ut id faciendum sit* [4]. — Τὸν σοφὸν ἀπράγμονά τε εἶναι καὶ ἰδιοπράγμονα καὶ τὰ αὑτοῦ πράττειν [5]. — Οἰκονομικὸν καὶ χρηματιστικὸν εἶναι [6]. — *Sapientem esse divi-*

πολιτεύσεσθαι τὸν σοφὸν ὡς καὶ τοῦ πλούτου ὄντος ἀγαθοῦ, καὶ τῆς δόξης καὶ τῆς ὑγείας. (1) Stob. Ecl. Eth. p. 200. (2) Stob. Ecl. Eth. p. 192, Plut. de Rep. Stoic. p. 1033 F. (3) Cic. Acad. II, 44. Posidonius praeceptionem ad legem pertinere arbitrabatur; contra Seneca censebat leges ita esse ferendas, ut nullum principium, nulla ratio iis adjiciatur, ut lex sit brevis, jubeat, non disputet, sitque veluti vox divinitus emissa. Cf. Sen. Ep. 94. (4) Stob. Ecl. Eth. p. 238, Cic. de Fin. III, 20. Stoici enim, ut docent Seneca, Ep. 5, et Arrianus ad Epictetum, IV, 11, III, 1, sapientem non sordidum, squalide vix paene tectum, promissa barba vel inculta facie proponebant; sed ita ut [illegible] vestis electionem appeteret et munditiae ex animalium natura aestimat. (5) Chrysippi effatum apud Plut. de Rep. Stoic. p. 1043 A. (6) Stob. Ecl. Eth. p. 200.

tiarum naturalium quaesitorem acerrimum (1). — *Solos sapientes inter se amicos esse, solos amare gnaros, solos amicos* (2). — *Sapientem uxorem esse ducturum* (3). — *Solum sapientem scire referre gratiam, beneficium dare: fidem non esse nisi in sapiente* (4). — Τὸν σοφὸν ὅμοιον εἶναι τῷ ἀγαθῷ ὑποκριτῇ (5).

Denique bona corporis et externa in sapientem cadere Stoici statuebant hisque effatis sanciebant: *Solum sapientem esse formosum* (6), *divitem* (7),

(1) Sen. Ep. 119. (2) Lips. Man. ad Stoic. Phil. III, diss. 16, Sen. de Benef. VII, 12, Ep. 81. (3) Musonius in libro, an philosophum impediant nuptiae, Stoicorum ratione disserit, an nuptiae cui impedimento sint ad philosophandum, et probat philosophum ideoque sapientem uxorem ducere debere. Vid. Stob. Flor. p. 632—634 ed. Gesn. Cf. Simpl. ad Epict. c. 62, p. 300. M. Antoninus quoque hujus Stoicorum placiti ὅτι ὁ σοφὸς δεῖ γαμεῖν mentionem fecit. Hoc effatum atque praecedens a Cynicis docebantur, ut refert D. L. VI, § 11. (4) Sen. Ep. 81. (5) D. L. VII, § 160. De hoc Aristonis Chii paradoxo commentationem scripsit Jo. Ben. Carpzovius, Lips., 1742. (6) Cic. Acad. II, 44, Plut. adv. Stoic. p. 1073 A. Quod paradoxon ita intelligendum est, non deformitate corporis animum foedari, sed pulchritudine animi corpus ornari; animi enim delineamenta pulchriora esse quam corporis. Ita Seneca, Ep. 66, de Clarano, condiscipulo suo, sene et corpore deformi, sed animo viridi atque vigente: „Formosus mihi videtur, et tam rectus corpore, quam est animo. Potest ex casa vir magnus exire: potest et e deformi humilique corpusculo formosus animus ac magnus." (7) Cic. Parad. ult. Plut. de absurd. Stoic. opin. p. 1058, D. Musonius, apud Stob. Flor. p. 560 ed. Gesn. [illegible] Socratis ef-

nobilem (¹). — Ἂν εἷς σοφὸς ὁπηδήποτε προτείνῃ τὸν δάκτυλον φρονίμως, οἱ κατὰ τὴν οἰκουμένην σοφοὶ πάντες ὠφελοῦνται (²). — *Sapientis omnia esse* (³).

Ut sapienti omnes has virtutes, ita contraria his vitia insipienti seu stulto tribuebant Stoici, et ut sapientem, licet multis et rebus opus sit, nulla re indigere, ita stulto nulla re opus esse, quia nulla re scit uti, sed eum omnibus egere dicebant (⁴). Statuebant: *Nulli, nisi sapienti, velle aut nolle decretum esse* (⁵). — *Vitam stulti ingratam, trepidam esse, totam in futurum ferri* (⁶). — *Omnes stultos insanire* (⁷). — *Insipientes*

---

fatum, apud Platonem in Phaedro, p. 358 C, πλούσιον δὲ νομίζοιμι τὸν σοφόν. (¹) Stob. Ecl. Eth. p. 220. Ipsam nobilitatem definiebant ἕξιν ἐκ γένους ἢ ἐκ κατασκευῆς, οἰκείαν πρὸς ἀρετήν. Hoc placitum etiam apud Cynicos occurrit, D. L. VI, § 10. (²) Plut. adv. Stoic. p. 1068 E, F, 1069 A. (³) Sen. de Benef. VII, 3, 4, D. L. VII, § 125. Hoc decretum Stoicis commune erat cum Cynicis, D. L. VI, § 11. (⁴) Chrysippi distinctio apud Sen. Ep. 9. (⁵) Sen. Ep. 20: „Variatur quotidie judicium et in contrarium vertitur; ac plerisque agitur vita per lusum." Cf. quae supra monuimus p. 95. (⁶) Sen. Ep. 15. (⁷) Cic. Parad. IV. Plut. de Rep. Stoic. p. 1048 E. Hoc dogma convenit cum Cynicorum paradoxo παρὰ δάκτυλον μαίνεσθαι, quod ita refert Diogenes Cynicus, apud D. L. VI, § 35: Τοὺς πλείστους παρὰ δάκτυλον μαίνεσθαι· ἐὰν οὖν τις τὸν μέσον προτείνας πορεύηται, δόξει μαίνεσθαι, ἐὰν δὲ τὸν λιχανόν, οὐκέτι. Menagius conjicit legendum: Ἐὰν οὖν τις τὸν μέσον παρά τινας προδεικνύῃ, δόξει μαίνεσθαι. Leviori fortassis emendatione corrigendum: Ἐὰν οὖν τις τὸν μέσον

omnes peregrinos, *exsules*, *servos*, *furiosos esse* (1). — Πάντας τοὺς ἀνοήτους πλούτῳ καὶ ὑγιείᾳ καὶ ῥώμῃ σώματος κακῶς χρῆσθαι (2). — Τοὺς ἀπαιδεύτους μόνῃ τῇ μορφῇ τῶν θηρίων διαφέρειν (3). E Stoicorum sententia omnes stulti sumus, omnes in summis malis versamur; stulti enim atque pravi manent omnes, donec virtutis prorsus compotes sint facti: Τοὺς ἀρχομένους ἀπὸ μοχθηροτέρας ἀγωγῆς ἐπὶ καλλίονα μεταβαίνειν χρὴ πρῶτον ἐξεμεῖν τὸν τῆς κακοζωΐας ἰόν, καὶ τότε τοῖς τῆς εὐζωΐας ἀγαθοῖς τρέφεσθαι (4). **Plutarchus** duobus ingeniosis exemplis Stoicorum de sapiente sententiam et illius stultique discrimen illustrat; quorum alterum ejusmodi est: si **Circe** duo **Ulyssi** obtulisset pocula, quorum alterum e stulto homine sapientem asinum, alterum e sapiente asino stultum hominem faceret, prius sumendum esse secundum Stoicos (5). Alterum a vasis similitudine

---

προτείνας, προδεικνύη τινά, αὐτὸς δόξει μαίνεσθαι. Firmat hanc conjecturam locus **Arriani**, ad **Epict.** III, 2: Οὐκ οἶδας, ὅτι Διογένης τῶν σοφιστῶν τινα οὕτως ἔδειξεν, ἐκτείνας τὸν μέσον δάκτυλον; εἶτα ἐκμανέντος αὐτοῦ, Οὗτός ἐστι, ἔφη, ὁ δεῖνα· ἔδειξα ὑμῖν αὐτόν. (1) **Cic.** Acad. II, 44. (2) **Plut.** de Rep. Stoic. p. 1048 C. (3) **Cleanthis** sententia apud **Stob.** in Flor. p. 705 ed. **Gesn.** (4) **Simpl.** ad **Epict.** c. XII p. 84. Insipientis indolem expressit **Epict.** Enchir. c. 48. Cf. **Arrian.** ad **Epict.** III, 19. (5) Adv. Stoic. p. 1064 A. B. Hujus dicti haec est ratio: sapientia Stoicis bonum, asini faciem circumferre indifferens est.

ductum est: ut vas perfluens ab integro discernitur, quum liquorem infundas, ita stultos a prudentibus animi rimis, ταις σαθραις ψυχαις, maxime dignosci (¹).

His paradoxis accedunt alia longe difficiliora, ex intima Stoicorum philosophia explicanda, quae quum plerumque abhorrerent non tantum a vulgari doctrinae usu, verum etiam a ceterorum philosophorum placitis, maxime exagitata sunt: quorum in numero haec censenda videntur: Ἴσα τὰ ἁμαρτήματα καὶ τὰ κατορθώματα, *paria esse peccata et recte facta* (²): non minus igitur delinquit is, qui gallum gallinaceum, quum opus non fuerit, quam qui patrem suffocaverit; qui palearum quam qui auri navem everterit; qui servum quam qui patrem injuria verberaverit (³); ut Horatius (⁴) cecinit:

Nam de mille fabae modiis quum surripis unum,
Damnum est, non facinus, mihi pacto lenius isto.

Huc quoque referenda est sententia Ofilii, ICti Romani, teste Ulpiano (⁵), qui: „Vulgaris est quaestio", inquit, „an is, qui ex acervo frumenti modium sustulit, totius rei furtum faciat, an vero ejus tantum, quod abstulit? Ofilius totius acervi furem esse putat." Ex hoc paradoxo Stoici plura

(¹) Ad Princ. indoct. p. 782 E. (²) Cic. Parad. III, de Fin. IV, 19, pro Mur. c. 30. Cf. supra p. 92 sqq. et 137. Ab hoc placito recesserunt Heraclides Tarsensis et Athenodorus Solensis. Cf. D. L. VII, § 121. (³) Cic. pro Mur. c. 29, de Fin. IV, 27. (⁴) Epp. I, 16, 55 sq. (⁵) L. XXI. Dig. de furt.

huic simillima argumentando deducebant, veluti: Πάντα τὰ ἀγαθὰ ἴσα εἶναι, καὶ μήτε ἄνεσιν, μήτε ἐπίτασιν δέχεσθαι (1). — Τὸ ἀγαθὸν τὸν χρόνον οὐκ αὔξειν προσγινόμενον (2). — Μηθὲν ἀγαθὸν μηθενὸς ἀγαθοῦ μεῖζον μηδὲ ἔλαττον, ἀλλ' ἴσον τῷ τέλει τὸ μὴ τέλος (3). — Τὰς ἀρετὰς ἀντακολουθεῖν ἀλλήλαις, καὶ τὸν μίαν ἔχοντα, πάσας ἔχειν (4). — Μήτε κακίαν κακίας, μήτε ἁμαρτίαν ἁμαρτίας ὑπερέχουσαν εἶναι, μήτε ἀρετὴν ἀρετῆς ἢ κατόρθωσιν κατορθώσεως (5). — Οὐδὲ τοὺς πελάζοντας ἀρετῇ, τῶν μακρὰν ὄντων ἧττον εἶναι ἐν κακίᾳ (6). — Οὔτε ἄνδρα τέλειον εἶναι τὸν μὴ πάσας ἔχοντα τὰς ἀρετάς, οὔτε πρᾶξιν τελείαν, ἥτις οὐ κατὰ πάσας πράττεται τὰς ἀρετάς (7). — Τὸν σοφὸν παρὰ τὸν πλείονα χρόνον οὐδὲν μᾶλλον εὐδαιμονεῖν (8), *non optabiliorem nec magis expetendam esse beatam vitam, si sit longa, quam si brevis* (9). — *Omnes, qui non sunt sa-*

(1) Diog. L. VII, § 101. (2) Plut. adv. Stoic. p. 1061 F. (3) p. 1070 E. (4) De Rep. Stoic. p. 1046 E, D. L. VII, § 125. Effatum Chrysippi libro primo de virtutibus, Apollodori in physice et Hecatonis libro tertio de virtutibus. (5) Chrysippi decretum apud Plut. de Rep. Stoic. p. 1038 C. Peccata igitur ex Stoicorum sententia ne graviora quidem fiebant accessione et cumulatione. (6) Plut. adv. Stoic. p. 1063 A, D. L. VII, § 120. (7) Chrysippi sententia apud Plut. de Rep. Stoic. p. 1046 E, F. (8) Plut. de Rep. Stoic. p. 1046 C, adv. Stoic. p. 1062 A, B: Κἂν ἀκαρές τι ὥρας γένηται φρόνιμος, οὐδὲν πρὸς εὐδαιμονίαν ἀπολειφθήσεται τοῦ τὸν αἰῶνα χρωμένου τῇ ἀρετῇ, καὶ μακαρίως ἐν αὐτῇ καταβιοῦντος.

pientes, neque miseros esse; sapientes omnes summe beatos esse (²). — *Hominem subito ex pravo fieri bonum, e stulto sapientem, e foedo pulchrum, ex infelicissimo felicissimum* (³). — Τῷ ἀγαθῷ τὸ τὴν οὐσίαν ἀποβαλεῖν οἱονεὶ δραχμὴν ἀποβαλεῖν (⁴). Statuebant porro: Τὴν φύσιν αὐτὴν ἀδιάφορον εἶναι, τὸ δὲ τῇ φύσει ὁμολογεῖν ἀγαθὸν μέγιστον (⁵). — *Sapientiam bonum esse, sapere non bonum* (⁶); Stoici enim sapientiam corporale et bonum, sapere incorporale et accidens alteri, scilicet sapientiae, dicebant; (sapientiam igitur, quia bonum est, expetendam, sapere vero, quod bono contingit, adexpetendum esse: quod placitum a veteribus dialecticis sumsisse videntur: Peripateticis enim idem erat sapere ac sapientia. — Τὸν σοφὸν ἐγκλειόμενον οὐ κωλύεσθαι καὶ κατακρημνιζόμενον οὐκ ἀναγκάζεσθαι καὶ στρεβλούμενον οὐ βασανίζεσθαι καὶ πυρούμενον οὐ βλάπτεσθαι καὶ πίπτοντα ἐν τῷ παλαίειν ἀήττητον εἶναι καὶ περιτειχιζόμενον ἀπολιόρκητον καὶ πωλούμενον ὑπὸ τῶν πολεμίων ἀνάλωτον (⁷). — *Sapientem vel in tormentis*

(¹) Cic. de Fin. III, 14, Sen. de Benef. V, 17, Epp. 73, 78, 101 et praesertim 74, ubi hujus paradoxi ratio declaratur. Simile placitum jam occurrit apud Aristotelem, Nic. I, 4. (²) Cic. de Fin. IV, 19. (³) Plut. de absurd. Stoic. opin. p. 1057 F, 1058 A, B, adv. Stoic. p. 1062, 1063, de Rep. Stoic. p. 1042 F, 1043 A. (⁴) Chrysippi effatum apud Plut. de Rep. Stoic. p. 1048 B. (⁵) Plut. adv. Stoic. p. 1060 D. (⁶) Sen. Ep. 117. (⁷) Plut. de absurd. Stoic. opin. p. 1057 E.

esse beatum (¹). In quod placitum Epicurus ita jocari solebat: sapiens, in Phalaridis tauro si erit, dicet, *quam suave est hoc! quam hoc non curo* (²)! Licet istud Stoicorum effatum a pluribus fuerit reprehensum, vel sic tamen optime convenit cum eorum sententia, dolorem non esse malum et sapientem dolore non commoveri. Errant igitur qui cum Augustino (³) illud paradoxon esse absurdissimum et non tantum cum ratione, sed etiam cum ceteris Stoicorum placitis pugnare contendunt (⁴). — Λυσιτελεῖν ζῆν ἄφρονα μᾶλλον ἢ μὴ βιοῦν (⁵), κἂν μηδέποτε μέλλῃ φρονήσειν· cui paradoxo hanc rationem subjungit Chrysippus: τοιαῦτα γὰρ τἀγαθὰ εἶναι τοῖς ἀνθρώποις, ὥςε τρόπον τινὰ τὰ κακὰ τῶν ἀνὰ μέσον προτερεῖν (⁶).

Quum plures exstiterint, nostris etiam temporibus, qui suum sensum et veterum nonnullorum, praesertim Plutarchi, auctoritatem secuti et huic Stoicorum adversario nimium tribuentes, Stoicorum sapientem potius lapidis quam hominis similem

(¹) Cic. de Fin. III, 13, IV, 12. Cff. Sen. Epp. 67 et 71 et M. Ant. VIII, § 41. (²) Cic. Tusc. II, 7, Sen. Ep. 66. (³) Ep. 52 (155 ed. Antv. 1700). (⁴) Non majore jure de hoc effato illud judicium tulit la Bruyère, Caract. ch. XI: „Les Stoïques ont feint qu'on pouvait sentir le fer ou le feu dans quelque partie de son corps sans pousser le moindre soupir, ni jeter une seule larme; et ce phantôme de vertu et de constance, ainsi imaginé, il leur a plu de l'appeler un sage." (⁵) Ita scripsi e Wyttenbachii emendatione; vulgo legebatur ἢ βιοῦν. (⁶) Plut. de Stoic. Rep. p. 1042 A.

proponerent, et, ne humanitas, clementia, misericordia et benignitas sapientis, qualem Seneca adumbrat, eorum sententiam convellerent, pravam inter Stoicos distinctionem facerent et seriores in sapiente informando ab antiquis longe recessisse statuerent: hujus loci esse duxi Stoicorum caussam suscipere, sublatis omnibus praejudicatis opinionibus, quae jam ortae ex invidia Academicorum, Peripateticorum et Epicureorum adversus Stoicos, ex ipsa hujus sectae austeritate nova incrementa ceperunt. Paradoxa igitur non, ut fieri solet, singulatim spectanda, sed potius comparando ex se invicem et ex universa Stoicorum doctrina interpretanda sunt. Stoicorum decreta, sapientem non misereri, non ignoscere, ita intelligamus, ut sapiens, vulgo longe humanior, clementior, mitior et in alios benignior ([1]), numquam tamen caeca gratia moveatur, numquam se precibus exorari vel placari, nulla mentis levitate, nulla animi mollitie et inconstantia, nullis affectibus, nullo irae impulsu se abripi patiatur, sed semper sibi par, semper invictus atque liber, lenis atque tranquillus, prudens, justus, temperans et fortis, judicio tantum, ratione et aequitate agat, injuriam sanare quam ulcisci satius esse ducat ([2]); omnem vero vulgarem misericordiam, omnem ignoscendi proclivitatem rejiciat, quae licet vulgo virtutes dicantur, potius imbecillis naturae vitia dicenda

([1]) Sen. de Ira I, 14, de Clem. I, 2. ([2]) Sen. de Ira III, 27.

sunt" (¹). Sentit profecto sapiens mala quae adsunt; nullum doloris vel calamitatis sensum habere contra naturam putat, sed ita ut illam ἀπάθειαν, quae non cum nonnullis vitium, sed summum adeo sapientis ornamentum dicenda est, quaeque etiam vel in tormentis beatum praestat, in omnibus vitae casibus conservet. „Sunt", ut egregie dicit Seneca (²), „quae sapientem feriunt, etiamsi non pervertunt: ut dolor corporis et debilitas, aut amicorum liberorumque amissio et patriae bello flagrantis calamitas. Haec non nego sentire sapientem; nec enim lapidis illi duritiam ferrive asserimus; nulla virtus est, quae non sentias perpeti. Quid ergo est? Quosdam ictus recipit; sed receptos evincit, sanat et comprimit; haec vero minora ne sentit quidem, nec adversus ea solita illa virtute utitur dura tolerandi: sed aut non annotat aut digna risu putat" (³).

(¹) Cf. supra p. 116 sq. (²) De Const. Sap. c. 10 et 11. Cf. Ep. 71. (³) Stoicorum doctrinam de sapiente in primis exposuerunt: Ant. le Grand, le Sage Stoique, la Haye, 1662; Erh. Reusch, de sap. Stoic. cum viro prud. Arist. coll., Altdorp, 1704: C. H. Thiebout, de sap. human. e sent. Senecae, Traj. ad Rhen., 1825: Lud. Sus. Petr. Meyboom, comm. ad quaest.: „Quae fuit in singulis veterum Graecorum philosophiae scholis descriptio et constitutio perfecti sapientis?" p. II, c. 8, p. 116 sqq., in Ann. Acad. Lugd. Bat. 1836—1837.

CAPUT III.

DE SUMMO BONO.

Inter decreta Stoicorum haud scio an nullum sit quod dignitate sua, gravitate et auctoritate, quam apud omnes veteres philosophos habuit, magis se nobis commendet quam illud de *summo bono*. „Quid est enim in vita", ut ait Cicero [1], „tanto opere quaerendum, quam cum omnia in philosophia, tum id, quid sit finis, quid extremum, quid ultimum, quo sint omnia bene vivendi recteque faciendi consilia referenda? Quid sequatur natura, ut summum ex rebus expetendis? Quid fugiat ut extremum malorum? Qua de re quum inter veteres jam olim et nunc quoque inter veteris doctrinae interpretes summa sit contentio, quem Stoici po-

(1) De Fin. I, 4.

tissimum finem seu summum bonum intellexerint, non alienum erit quid de eo statuendum sit exquirere, magis judicium nostrum periclitantes quam ab aliis temere dissentientes.

Triplex igitur Stoicis est finis. Primum ajunt esse τὸ τελικὸν ἀγαθὸν ἐν τῇ φιλολόγῳ συνηθείᾳ, quod obscurius dictum accipiendum est de consuetudine disserendi hominum doctorum: deinde τὸν σκοπόν, qualis est vita conveniens, quatenus refertur ad propositum quoddam vitae genus: denique τὸ ἔσχατον τῶν ὀρεκτῶν, ad quod omnia reliqua tendunt (¹). Inter scopum et finem illud interesse statuebant, ut scopum propositum dicerent quoddam signum, quo collineatur, id est, quod ferire vel attingere studerent illi, quibus proposita esset beatitudo. Hanc Chrysippi interpretationem nobis servavit Plutarchus (²), eandemque refert Stobaeus (³): Σκοπὸν μὲν γὰρ εἶναι τὸ ἐκκείμενον θῶμα (Cant. σῶμα, Heer. θῆμα), οὗ τυχεῖν ἐφίεσθαι τοὺς τῆς εὐδαιμονίας σκεπτομένους (⁴)· pro qua ultima voce fortassis reponendum στοχαζομένους· sic saltem Plutarchus (⁵): Εἴπερ γὰρ οἴονται μὴ στοχαζομένους μηδὲ ἐφιεμένους τοῦ τυχεῖν ἐκείνων (τῶν πρώτων κατὰ φύσιν) τὸ τέλος ἔχειν, ἄλλο οὗ δεῖ ἕνεκα ἀναφέρεσθαι

(¹) Stob. Ecl. Eth. p. 138. (²) Adv. Stoic. p. 1070 F, 1071 A. (³) l.l. (⁴) Ita Cant. et codd., Heer. de conj. τοὺς περὶ τῆς κ. τ. λ. (⁵) p. 1071 A. Cf. supra p. 141 sq.

τὴν τούτων ἐκλογὴν, καὶ οὐκ ἔμπαλιν ταῦτα. Quem locum ita correxit Wyttenbachius. Οἱ δ' ἀξιοῦντες, μὴ στοχαζομένους μηδ' ἐφιεμένους τοῦ τυχεῖν ἐκείνων τέλος ἔχειν, ἀλλ' οὗ δεῖ ἐκεῖνα ἀναφέρεσθαι, τὴν τούτων ἐκλογὴν, vertitque: At vero Stoici putant, eos qui spectant et appetunt prima naturae, finem sibi propositum habere non illorum adeptionem, sed id quo adeptio referenda est; eamque referendam ad electionem primorum naturae, non ad ipsa prima naturae". In eandem sententiam Plutarchus paullo inferius (1): Ὡς γὰρ εἰ τοξεύοντα φαίη τις οὐχὶ πάντα ποιεῖν τὰ περὶ αὐτὸν ἕνεκα τοῦ βαλεῖν τὸν σκοπὸν, ἀλλὰ τὸν σκοπὸν ἕνεκα τοῦ ποιεῖν τὰ περὶ αὐτὸν, αἰνίγμασιν ὅμοια καὶ τεράστια δόξειεν ἂν περαίνειν· οὕτως οἱ περιπετεῖς βιαζόμενοι μὴ τὸ τυγχάνειν τῶν κατὰ φύσιν, τοῦ στοχάζεσθαι τῶν κατὰ φύσιν εἶναι τέλος, ἀλλὰ τῶν (fort. τοῦ) λαμβάνειν τὸ ἐκλέγεσθαι (2). Eadem similitudine Panaetius ostendit virtutes esse inter se conjunctas et in una beatitudine positas, sicut sagittarii scopus varius variorum colorum lineis est distinctus. De qua sententia Stobaeus (3): Ὅμοιον γὰρ ἔλεγεν εἶναι

(1) p. 1071 B, C. Cf. de Virt. Mor. p. 444 B. (2) Wyttenbachius de conjectura legit τὸ λαμβάνειν τοῦ ἐκλέγεσθαι. (3) Ecl. Eth. p. 112; quo loco manifesto vitiosa sunt haec verba: ἤδη δ' ὁ μὲν διὰ τὸ ὑποτάξαι εἰς τὴν λευκὴν εἰ τύχοι γραμμὴν, quae si mutentur in ἤδη δ' ὁ μὲν διὰ τὸ τοξεῦσαι εἰς τὴν λευκὴν οὐ τύχοι γραμμὴν, saniora videri possent. Cf. Lynd. in Pan. p. 74 sq.

ὁ Παναίτιος τὸ συμβαῖνον ἐπὶ τῶν ἀρετῶν τοιοῦτον εἶναι, οἷον εἰ πολλοῖς τοξόταις εἷς εἴη σκοπός, ἔχοι δ' οὗτος ἐν αὑτῷ γραμμὰς διαφόρους τοῖς χρώμασιν· εἶθ' ἕκαστος μὲν στοχάζοιτο τοῦ τυχεῖν τοῦ σκοποῦ, ἤδη δ' ὁ μὲν πατάξας εἰς τὴν λευκὴν εἰ τύχοι γραμμήν, ὁ δὲ εἰς τὴν μέλαιναν, ἄλλος δὲ εἰς ἄλλο τι χρῶμα γραμμῆς κ. (¹). Loci Stobaei et Plutarchi, quos attulimus, aliquid lucis afferre videntur ad emendandum similem Ciceronis locum (²), quem librarii turbarunt, et quo etiam illustratur Stoicorum comparatio. Ut enim si cui propositum sit collineare hastam aliquo aut sagittam, sic illi facere omnia quae possit, ut collineet: huic in ejusmodi similitudine

(¹) Similiter Xenophon in Cyrop. VIII, 3, § 66; ita quoque Simplicius ad Epict. p. 173 ed. Salm.: προηγούμενον τοῦ τοξότου τέλος, ἐστὶ τὸ ἐπιτυχεῖν τοῦ σκοποῦ· διὰ γὰρ τὸ ἐπιτυχεῖν, τοξεύει. Eodem pertinet Jamblichi locus ad Socratem de virtute apud Stobaeum in Flor. p. 7 ed. Gesn.: τὰ δὲ ἔργα τῆς ἀρετῆς ... στοχαζόμενα. Quibus adjungantur Cicero, de Div. II, 59, Seneca, Ep. 71. Cf. supra p. 148. Eadem eleganti scopum feriendi comparatione cum finis adeptione utuntur et Aristoteles in Nic. I, 1: καθάπερ τοξόται, σκοπὸν ἔχοντες, μᾶλλον ἂν τυγχάνοιμεν τοῦ δέοντος, et Plato in Theaet. p. 136 C ed. Fic.: οἷον τοξότην φαῦλον ἱέντα, παραλλάξαι τοῦ σκοποῦ καὶ ἁμαρτεῖν. (²) De Fin. III, 6. Cfr. Goerenzius, Orellius et Madvigius ad h. l.

omnia sint facienda ut *propositum assequatur*; et sit hoc quasi ultimum, quale nos summum in vita bonum dicimus: illud autem, ut omnia faciat quo propositum adsequatur, seligendum, non expetendum." Distinctio in hoc posita est: adeptionem ultimi propositi esse expetendam; studium autem et operam, quae eo ducant, esse minoris dignitatis, id est, seligenda.

Finem ipsam beatitudinem vocabant, cujus caussa omnia fierent, ipsa vero nullius; quippe quae extremum esset quod expeteretur; de quo constat e Stobaeo [1]: Τέλος δέ φασιν εἶναι τὸ εὐδαιμονεῖν, οὗ ἕνεκα πάντα πράττεται μὲν, αὐτὸ δὲ πράττεται οὐδενὸς ἕνεκα. Item e Cicerone [2]: „Quoniam id est vel summum bonum, vel ultimum, vel extremum, (quod Graeci τέλος nominant,) quod ipsum nullam ad aliam rem, ad id autem res referuntur omnes". Itaque alterum, scopum scilicet, ipsam beatitudinem ejusque possessionem esse censebant; alterum vero, finem, in actione positum existimabant, quo, consequendae beatitudinis caussa, eligenda et sumenda essent ea, quae secundum naturam sint; qua beatitate eam adepti prudenter ita uti debemus, ut omnia quae eam augeant cum delectu nobis conciliemus, quaeque minuant, rejiciamus, teste Plutarcho [3]: Τέλος μὲν γὰρ τὸ ἐκλέγεσθαι, καὶ λαμβάνειν ἐκεῖνα (scilicet τὰ πρῶτα

---

[1] Ecl. Eth. p. 138. [2] De Fin. I, 12. [3] Adv. Stoic. p. 1071 B.

κατὰ φύσιν) φρονίμως· ἐκεῖνα δὲ αὐτά, καὶ τὸ τυγχάνειν αὐτῶν, εὐτελές, (leg. cum Xylandro οὐ τέλος,) ἀλλ᾽ ὥσπερ ὕλη τις ὑπόκειται τὴν ἐκλεκτικὴν ἀξίαν ἔχουσα.

Initiis igitur ita constitutis, facilius erit in caussas inquirere, quare Stoici in fine constituendo dissidere videantur; quarum prima eaque simplicissima haec est. Quemadmodum enim pro diversa hominum indole et mente, animorum varietate morumque dissimilitudine fieri non potest, ut alius non aliorsum trahatur, et in innumerabilibus naturae subsidiis non alius sibi aliud ad beatam vitam praesidium comparet ([1]); sic quoque in philosophia, quae in contemplatione et actione versatur, quaeque docet, qualem quisque vitae rationem sequi debeat, non una est docendi agendive ratio ac via. Pendet utrobique haec diversitas a corporis et membrorum imbecillitate aut robore, sensuum acie et integritate judiciique acumine, prava vel bona animi indole, hominum conditione, agendi caussis, temporibus aliisque, ut infinitum sit enumerare rationes quae homines ad agen-

---

([1]) Hoc est illud Persii Sat. V, 52.

Mille hominum species, et rerum discolor usus:
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

et Propertii Lib. III, Ecl. 7.

Est, quibus Eleae concurrit palma quadrigae,
Est, quibus in celeres gloria nata pedes.

Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis,
Naturae sequitur semina quisque suae.

dum impellant: quamobrem quis non videt, quam imprudens sit unumquemque velle generali quadam lege adstringere. Quod quum viderent Stoici, recte statuerunt unumquemque habere suam propriamque naturam, cum universa natura conjunctam, cui obedire debeat, et tanquam finem, omnibus et singulis proposuerunt celebratum illud praeceptum: vivere secundum suam et universi naturam (1), in quo placito haud scio an omnes consentiant Stoici.

Jam parum refert, utrum in concursu viarum, quae eodem ducunt, hanc illamve ingrediamur; modo eam sequamur et teneamus quae nobis optima et aptissima videatur, neve temere nos vagari patiamur; neque, quando Stoici dicunt omnibus animalibus hominibusque ultimum sive extremum esse naturae convenienter vivere, hoc ita accipiendum est quasi dicant, unum esse omnium extremum; sed, ut ait Cicero (2), ut omnium artium recte dici potest commune esse, ut in aliqua scientia versetur, scientiam autem

---

(1) M. Ant. II, § 9: Τούτων ἀεὶ δεῖ μεμνῆσθαι, τίς ἡ τῶν ὅλων φύσις καὶ τίς ἡ ἐμή, καὶ πῶς αὕτη πρὸς ἐκείνην ἔχουσα, καὶ ὁποῖόν τι μέρος ὁποίου τοῦ ὅλου οὖσα, καὶ ὅτι οὐδεὶς ὁ κωλύων τὰ ἀκόλουθα τῇ φύσει, ἧς μέρος εἶ, πράσσειν τε ἀεὶ καὶ λέγειν· V, § 9: Φιλοσοφία μόνα θέλει ἃ ἡ φύσις σου θέλει· X, § 33: Κατὰ τὴν ἰδίαν φύσιν ἐνεργεῖν. Cff. III, § 6, IV, § 48, VI, § 58, X, § 2, Sen. Epp. 20, 31, 35, 120. (2) De Fin. V, 9.

suam cujusque artis esse: sic commune animalium omnium secundum naturam vivere, sed naturas esse diversas, ut aliud equo sit natura, aliud bovi, aliud homini, et tamen in omnibus summa communis, et quidem non solum in animalibus, sed etiam in rebus omnibus.

At vero sunt in unaquaque doctrina principia quaedam quasi lumina, a quibus si quis dissentiat, vere ab ipsa doctrina recedere eamque evertere dicatur. Hujusmodi lumina sunt quae potissimum placitum nostrum de summo bono continent, virtus et beatitudo; altera finis vel ratio qua beatitudinem consequamur; altera vero scopus ad quem omnes actiones nostras cogitationesque dirigamus. Utrumque Stoici statuerunt, neque ullus, quod sciam, hac in re a Zenone dissensit. Quid ergo est quod initio diximus, in quo Stoici dissentire videantur, nisi ipsius virtutis definitio et intellectus? Quod si ostendero, rationibusque firmavero ne hoc quidem tantum esse, quin virtuti satis praesidii ad bene beateque vivendum relinquatur, concedendum nobis erit, Stoicos verbis inter se magis quam re dissidere, neque hanc verborum controversiam tantum valere, ut propterea virtutem beatitudinemque ab iis extenuatas esse dicamus.

Virtutem, de cujus definitione supra jam egimus (1), fusius atque plenius e ratione Stoicorum definit Cicero (2): „Virtus est affectio animi

---

(1) p. 86 sq. (2) Tusc. IV, 15. Cff. de Fin. III, 6, IV, 13.

constans conveniensque, laudabiles efficiens eos, in quibus est; et ipsa per se, sua sponte, separata etiam utilitate, laudabilis; ex ea proficiscuntur honestae voluntates, sententiae, actiones, omnisque recta ratio; quamquam ipsa virtus brevissime recta ratio dici potest. Oritur haec virtus e contemplatione naturae et indagatione initiorum, unde omnia reliqua concreta sint. Videt homo, ad veri inveniendi studium incitatus, totius mundi motus conversionesque; videt sidera innumerabilia, cum certis sedibus infixa, tum non temere vagantia, sed cursus sui certa spatia designantia. Perspicit ubique mentem illam divinam, quae totum mundum animat, nascentia animalia vita donat, intereuntia in alia mutat. Ad haec cognoscenda atque perspicienda quum natus sit homo (*), ipse se deinceps convertit ad cognitionem sui: sentit se omnibus ceteris animalibus longe perfectiorem: agnoscit suam mentem cum divina esse conjunctam, ex quo laetitia afficitur, tenditque ad hujus imitationem, neque putat mentem suam unquam interituram, quippe quae sit pars aeternae mentis

19, V, 14, Tusc. V, 13, Sen. Epp. 66, 74, Stob. Ecl. Eth. p. 98, 298. Stoici subinde virtutem vocabant artem bene vivendi, quae definitio occurrit apud August. de Civ. Dei, IX, 4. Cleanthes in suis ὑπομνήμασι φυσικοῖς virtutem vocat ἰσχὺν et κράτος, eleganti comparatione ducta ex ignis ictu, qui tonus est, quique, si in animo factus sufficiat ad perficiendum officium, robur vocatur et vis. Vid. Plut. de Rep. Stoic. p. 1034 D.

(*) Quod affirmat Balbus de N. D. II, 14. Cf. Davisius ad h. l.

divinae (1). „Haec ille intuens”, ut ait Cicero (2), „atque suspiciens, vel potius omnes partes orasque circumspiciens, quanta rursus animi tranquillitate humana et citeriora considerat! Hinc illa cognitio virtutis exsistit; efflorescunt genera partesque virtutum; invenitur, quid sit, quod natura spectet extremum in bonis, quod in malis ultimum; quo referenda sint officia; quae degendae aetatis ratio deligenda”. Patet igitur e dictis virtutem solam oriri ex mentis intentione ad ea, quae per sensus nobis objiciuntur. Mens enim, quae sensuum fons est atque etiam ipsa sensus est, vi sua alia visa sic arripit, ut his statim utatur, alia recondit, e quibus memoria oritur; cetera autem similitudinibus constituit, ex quibus exsistunt rerum notitiae: eo quum accessit ratio argumentique conclusio rerumque innumerabilium multitudo, tum et perceptio eorum omnium apparet, et eadem ratio perfecta his gradibus ad sapientiam pervenit. Ad rerum igitur scientiam vitaeque constantiam aptissima quum sit mens hominis, amplectitur maxime cognitionem, et istam comprehensionem cum ipsam per se amat, tum

(1) Placitum a Platone et Stoicis celebratum. Cf. quae supra monuimus p. 34 sq., 76 et 87 sq.; quibus addantur M. Ant. II, § 3, 4, 9, IV, § 14, V, § 24, VIII, § 7, X, § 6, XII, § 32, Simpl. ad Epict. p. 156, 182, 207. Cic. de Rep. VI, c. 24 sqq. Plut. adv. Stoic. p. 1077 D. Clem. Alex. Strom. II, p. 499 ed. Pott. Hor. Sat. II, 2, 78.

(2) Tusc. V, 25. Cf. supra p. 78.

etiam propter usum: quocirca et sensibus utitur, et artes (1) efficit quasi sensus alteros, et usque eo philosophiam ipsam corroborat ut virtutem efficiat (2), ex qua re una vita omnis apta sit: quam sententiam ad verbum fere e Cicerone (3) transscripsimus, quippe quae contineat quasi compendium eorum, quae copiose ab eo disputantur in libris Academicarum Quaestionum. Jam inde repetenda ratio est, quare Stoici in virtutibus solis inesse scientiam, et vicissim omnes scientias virtutes esse doceant: nulla enim virtus exsistit, nisi cognitis prius perceptisque et comprehensis iis quibus virtus illa continetur; neque scientia ulla excogitari potest, nisi constantiam, stabilitatem atque firmitatem complectatur totius vitae (4).

Virtutem et honestatem promiscue usurpabant, quod diserte apparet e Cicerone (5): „ Stoicis

---

(1) Cum his Ciceronis verbis optime [illegible] definitio apud Lucianum, in Parasito: Τέχνη ἐστὶν σύστημα ἐκ καταλήψεων ἐγγεγυμνασμένων (melius: συγγεγυμνασμένων) πρός τι τέλος εὔχρηστον [illegible] ἐν τῷ βίῳ, et apud Sextum Empiricum, Pyrrh. Hyp. III, § 241: Τέχνην εἶναί φασι σύστημα ἐγκαταλήψεων (fort. ἐκ καταλήψεων). Cf. Cic. Acad. II, 7, de Fin. III, 5, 15. (2) Hinc ipsas artes in sapiente instar virtutum esse contendebant Stoici. Vid. Stobaeus, Ecl. Eth. p. 128.

(3) Acad. II, 10. Cf. Plut. de Plac. Phil. IV, 11, p. 900, B, C.

(4) Plut. de Virt. Mor. p. 444 C, D, D. L. VII, § 40 ibique Menagius, § 92 et 93, Stob. Ecl. Eth. p. 92, Cic. Acad. I, 2, ibique Davisii annotatio, II, 8, de Fin. III, 21, 22.

(5) De Fin. II, 11; sic quoque, ibid. III, 3, honestum vocat

(finis bonorum est) consentire naturae; quod esse volunt e virtute, id est, honeste vivere"; et alio loco (¹): „Hoc posito, et verborum concertatione sublata, tantum tamen excellet illud quod recte amplexantur isti, quod honestum, quod rectum, quod decorum appellamus, quod idem interdum virtutis nomine amplectimur, ut omnia praeterea, quae bona corporis et fortunae putantur, perexigua et minuta videantur". Hinc, ut virtutem supra diximus oriri ex conciliatione naturae, sic quoque honestum illud, quod finem esse bonorum statuunt, ex eodem fonte duci manifestum est (²).

Ex collatione virtutis vel honestatis cum ceteris rebus, quibus vulgo effici beata vita putatur, duo quasi imperatoria edicta in vulgus Stoa immisit. Primum, *id solum bonum esse quod honestum sit*: quod Stoicorum decretum fuse copiose persequitur Cicero et orationis commendatione ad verisimilitudinem exornat in elegantissimo libello, cui titulus est Paradoxa. Hoc vero placito quasi fulcitur et sustinetur tota Stoicorum ratio atque doctrina moralis, et ex illo reliqua deinceps paene Socratica jussa et dictata sic nectuntur, ut, si illud moveatur, labent omnia. Hujus effati vim atque momentum brevissime declarat

virtutis lumen. Cf. c. 11. (¹) Tusc. II, 13. Cf. D. L. VII, § 101. Sen. Ep. 74 et supra p. 81, 83. (²) Cic. Acad. II, 42.

Cicero (1): „Quod autem continet non magis eam disciplinam, de qua loquor, quam vitam fortunasque nostras, id est, ut, quod honestum sit, id solum bonum judicemus." Hoc paradoxon a Stoicis tanquam consectarium duci ex illo, quod omne bonum laudabile sit, testantur Cicero (2) et Plutarchus (3). Ex comparatione ejus, quod bonum est cum honestate efficitur novum consectarium: *omne honestum utile esse*, et vicissim, *omne utile honestum*, ita tamen, ut non quia utile, honestum sit; sed quia honestum, utile (4).

De definitione boni supra quidem vidimus (5); sed quum ad hujus capitis argumentum maxime pertineat, ea hic adjiciamus quae tum consulto

---

(1) De Fin. III, 7. Vid. D. L. VII, § 100, 101, et Menagius ad h. l. Adjungantur his Stob. Ecl. Eth. p. 84, Cic. Academ. I, 10, 42, 44, de Fin. III, [illegible], IV, [illegible] 17; V, 7, Tusc. II, 25, V, 7, 8, 11, 30, de Off. III, 3, 8, de Invent. I, 6, Sen. Epp. 71, 74, 120, de Beat. Vit. c. 22, Gellius, N. A. XII, 5, August. de Civ. Dei, IX, 4, M. Ant. II, 11, ibique Gatakerus, et quae supra monuimus p. 76 sqq. Stoicos hoc placitum a Platone mutuatos esse ex Antipatro Tarsensi testatur Clemens Alexandrinus, Strom. V, p. 705 ed. Pott., item Cicero, Tusc. V, 12. (2) De Fin. III, 8. (3) De Rep. Stoic. p. 1039 C, memoratus a Davisio ad Cic. l. l. Add. Cic. de Fin. IV, 18, de Off. I, 4, de Legg. I, 13. (4) Cic. de Off. II, 3, III, 4, 7, 8, 30, Epp. ad Div. V, 19. Stoicos vero hoc placitum a Socrate acceptum, in suam doctrinam retulisse, memorant Cic. de Off. III, 3 et de Legg. I, 12 et Clem. Alex. Strom. II, p. 499 ed. Pott. (5) p. 78.

omisimus. „Bonum autem", ut ait Cicero (¹), „quod in hoc sermone toties usurpatum est, id etiam definitione explicatur. Sed eorum definitiones *paullum oppido* inter se differunt, et tamen eodem spectant. Ego assentior Diogeni, qui bonum definierit id quod esset natura absolutum. Id autem sequens, illud, etiam quod prodesset, (ὠφέλημα enim sic appellemus,) motum aut statum esse dixit, e natura absoluto. Quumque rerum notiones in animis fiant, si aut usu aliquid cognitum sit aut conjunctione aut similitudine aut collatione rationis, hoc quarto, quod extremum posui, boni notitia facta est. Quum enim ab iis rebus, quae sunt secundum naturam, adscendit animus collatione rationis, tum ad notionem boni pervenit. Hoc autem ipsum bonum non accessione neque crescendo, aut cum ceteris comparando, sed propria vi sua et sentimus et appellamus bonum."

Hic locus opus habet aliqua animadversione; prima spectat ad id, quod Davisius dicit: neminem mirari Stoicorum definitiones eodem spectare, si *paullum oppido* inter se differant; propterea sententiam flagitans, ut pro *tamen* legatur *tantum*.

(¹) De Fin. III, 10. Cf. Stob. Ecl. Eth. p. 78, 80, 96, D. L. VII, § 94 et Menagius ad h. l. et Sen. Ep. 117. Verum bonum Simplicius, ad Epict. p. 171 ed. Salm., vocat, quod cujusque naturae convenit, quoque illa suam habet perfectionem. Plura qui scire desiderat adeat Lipsium, Man. ad Stoic. Phil. II, diss. 22.

pientes, neque miseros esse; sapientes omnes summe beatos esse (²). — *Hominem subito ex pravo fieri bonum, e stulto sapientem, e foedo pulchrum, ex infelicissimo felicissimum* (³). — Τῷ ἀγαθῷ τὸ τὴν οὐσίαν ἀποβαλεῖν οἱονεὶ δραχμὴν ἀποβαλεῖν (⁴). Statuebant porro: Τὴν φύσιν αὐτὴν ἀδιάφορον εἶναι, τὸ δὲ τῇ φύσει ὁμολογεῖν ἀγαθὸν μέγιστον (⁵). — *Sapientiam bonum esse, sapere non bonum* (⁶); Stoici enim sapientiam corporale et bonum, sapere incorporale et accidens alteri, scilicet sapientiae, dicebant; sapientiam igitur, quia bonum est, expetendam, sapere vero, quod bono contingit, adexpetendum esse; quod placitum a veteribus dialecticis sumsisse videntur: Peripateticis enim idem erat sapere ac sapientia. — Τὸν σοφὸν ἐγκλειόμενον οὐ κωλύεσθαι καὶ καταχρημνιζόμενον οὐκ ἀναγκάζεσθαι καὶ στρεβλούμενον οὐ βασανίζεσθαι καὶ πυρούμενον οὐ βλάπτεσθαι καὶ πίπτοντα ἐν τῷ παλαίειν ἀήττητον εἶναι καὶ περιτειχιζόμενον ἀπολιόρκητον καὶ πωλούμενον ὑπὸ τῶν πολεμίων ἀνάλωτον (⁷). — *Sapientem vel in tormentis*

(¹) Cic. de Fin. III, 14, Sen. de Benef. V, 17, Epp. 73, 78, 101 et praesertim 74, ubi hujus paradoxi ratio declaratur. Simile placitum jam occurrit apud Aristotelem, Nic. I, 4. (²) Cic. de Fin. IV, 19. (³) Plut. de absurd. Stoic. opin. p. 1057 F, 1058 A, B, adv. Stoic. p. 1062, 1063, de Rep. Stoic. p. 1042 F, 1043 A. (⁴) Chrysippi effatum apud Plut. de Rep. Stoic. p. 1048 B. (⁵) Plut. adv. Stoic. p. 1060 D. (⁶) Sen. Ep. 117. (⁷) Plut. de absurd. Stoic. opin. p. 1057 E.

esse beatum (¹). In quod placitum Epicurus ita jocari solebat: sapiens, in Phalaridis tauro si erit, dicet, *quam suave est hoc! quam hoc non curo* (²)! Licet istud Stoicorum effatum a pluribus fuerit reprehensum, vel sic tamen optime convenit cum eorum sententia, dolorem non esse malum et sapientem dolore non commoveri. Errant igitur qui cum Augustino (³) illud paradoxon esse absurdissimum et non tantum cum ratione, sed etiam cum ceteris Stoicorum placitis pugnare contendunt (⁴). — Λυσιτελεῖν ζῆν ἄφρονα μᾶλλον ἢ μὴ βιοῦν (⁵), κἂν μηδέποτε μέλλῃ φρονήσειν· cui paradoxo hanc rationem subjungit Chrysippus: τοιαῦτα γὰρ τἀγαθὰ εἶναι τοῖς ἀνθρώποις, ὥςε τρόπον τινὰ τὰ κακὰ τῶν ἀνὰ μέσον προτερεῖν (⁶).

Quum plures exstiterint, nostris etiam temporibus, qui suum sensum et veterum nonnullorum, praesertim Plutarchi, auctoritatem secuti et huic Stoicorum adversario nimium tribuentes, Stoicorum sapientem potius lapidis quam hominis similem

(¹) Cic. de Fin. III, 13, IV, 12. Cff. Sen. Epp. 67 et 71 et M. Ant. VIII, § 41. (²) Cic. Tusc. II, 7, Sen. Ep. 66. (³) Ep. 82 (155 ed. Antv. 1700). (⁴) Non majore jure de hoc effato illud judicium tulit la Bruyère, Caract. ch. XI: „Les Stoïques ont feint qu'on pouvait sentir le fer ou le feu dans quelque partie de son corps sans pousser le moindre soupir, ni jeter une seule larme; et ce phantôme de vertu et de constance, ainsi imaginé, il leur a plu de l'appeler un sage." (⁵) Ita scripsi e Wyttenbachii emendatione; vulgo legebatur ἢ βιοῦν. (⁶) Plut. de Stoic. Rep. p. 1042 A.

proponerent, et, ne humanitas, clementia, misericordia, et benignitas sapientis, qualem Seneca adumbrat, eorum sententiam convellerent, perperam inter Stoicos distinctionem facerent et seriores in sapiente informando ab antiquis longe recessisse statuerent: hujus loci esse duxi Stoicorum caussam suscipere, sublatis omnibus praejudicatis opinionibus, quae jam ortae ex invidia Academicorum, Peripateticorum et Epicureorum adversus Stoicos, ex ipsa hujus sectae austeritate nova incrementa ceperunt. Paradoxa igitur non, ut fieri solet, singulatim spectanda, sed potius comparando ex se invicem et ex universa Stoicorum doctrina interpretanda sunt. Stoicorum decreta, sapientem non misereri, non ignoscere, ita intelligamus, ut sapiens, vulgo longe humanior, clementior, mitior et in alios benignior (1), numquam tamen caeca gratia moveatur, numquam se precibus exorari vel placari, nulla mentis levitate, nulla animi mollitie et inconstantia, nullis affectibus, nullo irae impulsu se abripi patiatur, sed semper sibi par, semper invictus atque liber, lenis atque tranquillus, prudens, justus, temperans et fortis, judicio tantum, ratione et aequitate agat, injuriam sanare quam ulcisci satius esse ducat (2); omnem vero vulgarem misericordiam, omnem ignoscendi proclivitatem rejiciat, quae licet vulgo virtutes dicantur, potius imbecillis naturae vitia dicenda

---

(1) Sen. de Ira I, 14, de Clem. I, 2. (2) Sen. de Ira III, 27.

sunt (¹). Sentit profecto sapiens mala quae adsunt, nullum doloris vel calamitatis sensum habere contra naturam putat, sed ita ut illam ἀπάθειαν, quae non cum nonnullis vitium, sed summum adeo sapientis ornamentum dicenda est, quaeque eum vel in tormentis beatum praestat, in omnibus vitae casibus conservet: „Sunt", ut egregie dicit Seneca (²), „quae sapientem feriunt, etiamsi non pervertunt: ut dolor corporis et debilitas, aut amicorum liberorumque amissio et patriae bello flagrantis calamitas. Haec non nego sentire sapientem; nec enim lapidis illi duritiam ferrive asserimus; nulla virtus est, quae non sentias perpeti. Quid ergo est? Quosdam ictus recipit; sed receptos evincit, sanat et comprimit; haec vero minora ne sentit quidem, nec adversus ea solita illa virtute utitur dura tolerandi: sed aut non annotat aut digna risu putat" (³).

(¹) Cf. supra p. 116 sq. (²) De Const. Sap. c. 10 et 11. Cf. Ep. 71. (³) Stoicorum doctrinam de sapiente in primis exposuerunt: Ant. le Grand, le Sage Stoique, la Haye, 1662: Erh. Reusch, de sap. Stoic. cum viro prud. Arist. coll., Altdorp, 1704: C. H. Thiehout, de sap. human. e sent. Senecae, Traj. ad Rhen., 1823: Lud. Sus. Petr. Meyboom, comm. ad quaest.: „Quae fuit in singulis veterum Graecorum philosophiae scholis descriptio et constitutio perfecti sapientis?" p. II, c. 8, p. 116 sqq., in Ann. Acad. Lugd. Bat. 1836—1837.

CAPUT III.

DE SUMMO BONO.

Inter decreta Stoicorum haud scio an nullum sit, quod dignitate sua, gravitate et auctoritate, quam apud omnes veteres philosophos habuit, magis se nobis commendet, quam illud de *summo bono*. „Quid est enim in vita”, ut ait Cicero (1), „tanto opere quaerendum, quam cum omnia in philosophia, tum id, quid sit finis, quid extremum, quid ultimum, quo sint omnia bene vivendi recteque faciendi consilia referenda? Quid sequatur natura, ut summum ex rebus expetendis? Quid fugiat ut extremum malorum?” Qua de re quum inter veteres jam olim et nunc quoque inter veteris doctrinae interpretes summa sit contentio, quem Stoici po-

(1) De Fin. I, 4.

tissimum finem seu summum bonum intellexerint, non alienum erit quid de eo statuendum sit exquirere, magis judicium nostrum periclitantes quam ab aliis temere dissentientes.

Triplex igitur Stoicis est finis. Primum ajunt esse τὸ τελικὸν ἀγαθὸν ἐν τῇ φιλολόγῳ συνηθείᾳ, quod obscurius dictum intelligendum est de consuetudine disserendi hominum doctorum: deinde τὸν σκοπόν, qualis est vita conveniens, quatenus refertur ad propositum quoddam vitae genus: denique τὸ ἔσχατον τῶν ὀρεκτῶν, ad quod omnia reliqua tendunt ([1]). Inter scopum et finem illud interesse statuebant, ut scopum propositum dicerent quoddam signum, quo collineatur, id est, quod ferire vel attingere studerent illi, quibus proposita esset beatitudo. Hanc Chrysippi interpretationem nobis servavit Plutarchus ([2]), eandemque refert Stobaeus ([3]) Σκοπὸν μὲν γὰρ εἶναι τὸ ἐκκείμενον σῶμα (Cant. σῶμα, Heer. θῆμα); οὗ τυχεῖν ἐφίεσθαι τοὺς τῆς εὐδαιμονίας σκεπτομένους ([4]). pro qua ultima voce fortassis reponendum στοχαζομένους sic saltem Plutarchus ([5]): Εἴπερ γὰρ οἴονται μὴ στοχαζομένους μηδὲ ἐφιεμένους τοῦ τυχεῖν ἐκείνων (τῶν πρώτων κατὰ φύσιν) τὸ τέλος ἔχειν, ἄλλο οὗ δεῖ ἕνεκα ἀναφέρεσθαι

([1]) Stob. Ecl. Eth. p. 136. ([2]) Adv. Stoic. p. 1070 F, 1071 A. ([3]) l.l. ([4]) Ita Cant. et codd., Heer. de conj. τοὺς περὶ τῆς κ. τ. λ. ([5]) p. 1071 A. Cf. supra p. 141 sq.

τὴν τούτων ἐκλογήν, καὶ πάντα. Quem locum ita correxit Wyttenbachius: Ὥσθ' οἱ ἀξιοῦντες, τοὺς μὲν στοχαζομένους καὶ ἐφιεμένους τοῦ τυχεῖν ἐκείνων τέλος ἔχειν ἀλλ' οὗ δεῖ ἐκεῖνα ἀναφέρεσθαι τὴν τούτων ἐκλογήν, vertitque: At vero Stoici putant, eos qui spectant et appetunt prima naturae, finem sibi propositum habere non illorum adeptionem; sed id quo adeptio referenda est; eamque referendam ad electionem primorum naturae, non ad ipsa prima naturae". In eandem sententiam Plutarchus paullo inferius (1): Ὡς γὰρ εἰ τοξεύοντα φαίη τις οὐχὶ πάντα ποιεῖν τὰ περὶ αὑτὸν ἕνεκα τοῦ βαλεῖν τὸν σκοπὸν ἀλλ' ἕνεκα τοῦ πάντα ποιῆσαι τὰ περὶ αὑτὸν, αἰνίγμασιν ὁμοίως καὶ τερατώδεσιν ἂν περαίνειν οὕτως οἱ περιέποντες βιαζόμενοι μὴ τὸ τυγχάνειν τῶν κατὰ φύσιν, τοῦ στοχάζεσθαι τῶν κατὰ φύσιν εἶναι τέλος, ἀλλὰ τῶν (fort. τοῦ) λαμβάνειν τὸ ἐκλέγεσθαι (2). Eadem similitudine Panaetius ostendit virtutes esse inter se conjunctas et in una beatitudine positas, sicut sagittarii scopus variis variorum colorum lineis est distinctus. De qua sententia Stobaeus (3): Ὅμοιον γὰρ ἔλεγεν εἶναι

(1) p. 1071 B, C. Cf. de Virt. Mor. p. 444 B. (2) Wyttenbachius de conjectura legit τὸ λαμβάνειν τοῦ ἐκλέγεσθαι. (3) Ecl. Eth. p. 112; quo loco manifesto vitiosa sunt haec verba: ἤδη δ' ὁ μὲν διὰ τὸ ὑποτάξαι εἰς τὴν λευκὴν εἰ τύχοι γραμμήν, quae si mutentur in ἤδη δ' ὁ μὲν διὰ τὸ τοξεῦσαι εἰς τὴν λευκὴν οὐ τύχοι γραμμήν, saniora videri possent. Cf. Lynd. in Pan. p. 74 sq.

[illegible] ἐπὶ [illegible]

[illegible] γραμμήν, [illegible] ἄλλος δὲ διὰ τὸ εἰς ἄλλο τι χρῶμα γραμμῆς κ. τ. λ. (¹). Loci Stobaei et Plutarchi, quos attulimus, aliquid lucis afferre videntur ad emendandum similem Ciceronis locum (²), quem librarii turbarunt, et quo etiam illustratur Stoicorum comparatio. Ciceronem sic fere scripsisse conjicimus: Ut enim si cui propositum sit collineare hastam aliquo aut sagittam, necesse sit illi facere omnia quae possit, ut collineet; sic huic in ejusmodi similitudine [illegible] τῶν κατὰ

(¹) Similiter Xenophon in Cyrop. III, 3, § 66: [illegible] εἰς τοὺς κατατείναντας: ita quoque Simplicius ad Epict. p. 173 ed. Salm.: προηγούμενον τοῦ τοξότου τέλος, ἐπὶ τὸ ἐπιτυχεῖν τοῦ σκοποῦ· διὰ γὰρ τὸ ἐπιτυχεῖν, τοξεύει. Eodem pertinet Jamblichi locus ad Socratem de virtute apud Stobaeum in Flor. p. 7 ed. Gesn.: τὰ δὲ ἔργα τῆς ἀρετῆς [illegible] στοχαζόμενα. (²) Quibus adjungantur Cicero de Div. II, 59, Seneca, Ep. 71. Cf. supra p. 148. Eadem eleganti scopum feriendi comparatione cum finis adeptione utuntur et Aristoteles in Nic. I, 1: καθάπερ τοξόται, σκοπὸν ἔχοντες, μᾶλλον ἂν τυγχάνοιμεν τοῦ δέοντος, et Plato in Theaet. p. 136 C ed. Fic.: οἷον τοξότην φαῦλον ἱέντα, παραλλάξαι τοῦ σκοποῦ καὶ ἁμαρτεῖν. (³) De Fin. III, 6. Cfr. Goerenzius, Orellius et Madvigius ad h. l.

in summum bonum evectus, post mortem quoque est. Quocirca ejus demum, qui omnia alacri animo nihilque invitus faciat, vita doloris metusque expers, libera, beata erit, sine affectibus et plena voluptatis (1).

Ex his sequitur non ipsum vivere, sed bene, beate, secundum virtutem vivere Stoicis bonum esse, longeque optabiliorem et magis expetendam esse vitam sapientis quam insipientis; hujus enim solius vita libera, nullis impedimentis obnoxia, nullius arbitrio subjecta est; sapiens bona tantum appetit, mala rejicit.) Vitam a parentibus, sapientiae studio bonam vitam accepimus; est autem bene vivere, amice et societati hominum convenienter temperanterque et juste vivere (2).

Ne quis vitam nimis diligat, putans, si longior vita sibi contingeret, se multis honestis actionibus beatiorem exitum adeptum fore, nihil prodesse nec quemquam lucrari statuebant, utrum diutius an brevius vixisset (3), utrum beatam vitam, quae sine summo bono non est, temporis adjectione protraxisset (4), plures an pauciores actiones rationi consentaneas peregisset (5): „Quemodo enim fabula, sic vita: non quamdiu, sed quam bene acta sit re-

(1) Simpl. ad Epict. c. 8, p. 37, quo loco pro vulg. ἄνευ πάθους καὶ ἡδονῆς fortassis legendum ἄνευ πάθους καὶ πλήρης ἡδονῆς. (2) Cf. Plut. adv. Colot. p. 1108 C. (3) Sen. Epp. 37, 101. Cff. Qu. Nat. II, 59, M. Ant. IV, § 47 ibique Gatak. (4) Sen. de Benef. V, 17, Epp. 74, 93. (5) M. Ant. XII, § 35.

fert. Nihil ad rem pertinet, quo loco desinas; quocunque voles, desine: tantum bonam clausulam impone" ([1]). Cui similis haec Horatii ([2]) sententia:

> Ille potens sui
> Laetusque deget, cui licet in diem
> Dixisse: vixi.

Vitam sua praestantia non temporis diuturnitate censendam, naturamque brevitate vitae nihil hominibus praebuisse melius, trita Stoicis erat sententia, ad quam etiam Plutarchus multa retulit in Consolatione ad Apollonium. „Nemo", ut ait Cicero ([3]), „parum diu vixit, qui virtutis perfectae perfecto functus est munere. Quare, si ipsa ratio minus perficiet, ut mortem negligere possimus: at vita acta perficiat, ut satis superque vixisse videamur." Vitam adeo punctum et puncto etiam minorem censebant ([4]):

([1]) Sen. Ep. 77. Huc quoque referri potest Musonii sententia apud Stob. Flor. Tit. 118, 26 ed. Gaisf.: Τοῦ ἀποθανεῖν [illegible] ἐπιλελησμένου πᾶσιν, οὐ τὸ βραδέως, ἀλλὰ τὸ ἐμφανῶς ἀποθανεῖν μακάριον. ([2]) Hor. Od. III, 29, 41 sqq. ([3]) Tusc. I, 45. ([4]) Cic. Tusc. I, 39, Sen. de Brev. Vit. c. 10; Ep. 49, M. Ant. II, § 17, III, § 10, IV, § 17, 26. 48, VI, § 30, XI, § 13. Cf. Plut. de puer. educ. p. 13 A, Hor. Od. I, od. 4, 22 sq., od. 11, 6, 7, II, od. 16, 17, 18, Sat. II, 6, 96 et Stob. Flor. Tit. 108, 32 ed. Gaisf., ubi hic Menandri versus laudatur:

> Μικρόν τι τὸ βίου, καὶ στενὸν ζῶμεν χρόνον.

qui latine exstat apud Senecam, de Brev. Vit. c. 2.

Nascentes morimur, finisque ab origine pendet ([1]).

Denique Stoici ipsam vitam ducebant miseram ab initio ad finem, nihil integri, nihil puri, nihil boni, omnia mala habentem ([2]), in qua unum tantum sit aestimatione dignum: Τὸ κατὰ τὴν ἰδίαν κατασκευὴν κινεῖσθαι, καὶ ἴσχεσθαι, ἐφ' ὃ καὶ αἱ ἐπιμέλειαι ἄγουσι καὶ αἱ τέχναι ([3]).

Vitam comparare solebant vel cum convivio, cujus exitus sit vitae finis ([4]), vel cum fabula, non tamen quinque sed tribus tantum actibus absoluta ([5]): Ἄνθρωπε, ἐπολιτεύσω ἐν τῇ μεγάλῃ ταύτῃ

([1]) Manil. Astr. IV, 16. Vide Jan. Rutgersium, var. lect. lib. IV, c. 17. ([2]) Plut. adv. Stoic. p. 1060 A, 1067 E, F. ([3]) M. Ant. VI, § 15, 16. Cff. Sen. de Brev. Vit. c. 1, Stob. Flor, Tit. 98, 68 ed. Gaisf.; ubi Zeno: Οὐδενὸς ἡμᾶς οὕτω πένεσθαι, ὡς χρόνου. Βραχὺς γὰρ ὄντως ὁ βίος, ἡ δὲ τέχνη μακρή. ([4]) Cff. Scholia in Epict. Ἐγχ. c. 15: Συμποσίῳ εἰκάζει ὁ σοφὸς καὶ συμποσίου καταςάσει (ut rite Heynius pro vulg. καταςὰς) τὸν βίον καὶ τὰ τοῦ βίου πράγματα. ([5]) M. Ant. XII, § 36 ibique Gatak. Cff. X, § 27, XI, § 6, Epict. Ἐγχ. c. 17, Arrian. ad Epict. IV, 7, D. L. VII, § 160, Plut. adv. Stoic. p. 1066 A, et Stob. Flor. Tit. 5, 67 ed. Gaisf.: Ὥσπερ ἀγαθὸς ὑποκριτής, εὖ καὶ τὸν πρόλογον, εὖ καὶ τὰ μέσα, εὖ καὶ τὴν καταςροφήν· οὕτω καὶ ὁ ἀγαθὸς ἀνήρ, εὖ καὶ τὰ πρῶτα τοῦ βίου, εὖ καὶ τὰ μέσα, εὖ καὶ τὴν τελευτήν, quae sententia a Gatakero, ad M. Ant. XII, § 36, Musonio, a Gaisfordo Teleti Pythagoreo tribuitur. Comparatio vitae humanae cum fabula et hominis cum histrione notissima est, nec tantum apud Stoicos, sed et apud alios

πόλει; τί σοι διαφέρει εἰ πέντε ἔτεσι; τὸ γὰρ κατὰ τοὺς νόμους ἴσον ἑκάστῳ. τί οὖν δεινόν, τῆς πόλεως ἀποπέμπει σε οὐ τύραννος οὐδὲ δικαστὴς ἄδικος, ἀλλ' ἡ φύσις, εἰσαγαγοῦσα; οἷον εἰ κωμῳδὸν ἀπολύει τῆς σκηνῆς ὁ παραλαβὼν στρατηγός. ἀλλ' οὐκ εἶπον τὰ πέντε μέρη, ἀλλὰ τὰ τρία. καλῶς εἶπας. ἐν μέν τοι τῷ βίῳ τὰ τρία ὅλον τὸ δρᾶμά ἐστι· τὸ γὰρ τέλειον ἐκεῖνος ὁρίζει, ὁ τότε μὲν τῆς συγκρίσεως, νῦν δὲ τῆς διαλύσεως αἴτιος.

§ 2. *De morte contemnenda.*

Quum sapiens semper ita vixerit ac si ultimum diem esset victurus (¹), et in vita, licet brevi, propositum finem assecutus sit, vitam quovis temporis momento perfectam relinquere poterit (²), nec tantum mortem contemnet, sed eam adeo oppetet, si in hac vita virtutis et sapientiae via, quam semel ingressus est, ei intersepiatur.

Insigne Stoicorum pro morte contemnenda argumentum hoc erat: hominem post mortem vel nihil sentire sed prorsus exstingui, vel vivere haud desinere et in alium locum migrare: horum alterum non est quod timeamus; alterum vero, vitae onere sublato, sperare potius quam aspernari debe-

philosophos, velut Pythagoreos, celebrata. Cff. Stob. Flor. Tit. 5, 67 init., Tit. 108, 82 ed. Gaisf., et quae plura addit Gatak. l.l. (¹) M. Ant. VII, § 56. (²) M. Ant. III, § 7, 8, 12, X, § 1 sqq.

mus (¹): Ὁ τὸν θάνατον φοβούμενος ἤτοι ἀναισθησίαν φοβεῖται ἢ αἴσθησιν ἑτεροίαν· ἀλλ' εἴτε οὐκέτι αἴσθησιν, οὐδὲ κακοῦ τινος αἰσθήσῃ, εἴτε ἀλλοιοτέραν αἴσθησιν κτήσῃ, ἀλλοῖον ζῷον ἔσῃ, καὶ τοῦ ζῆν οὐ παύσῃ (²). Obloqui sibi videri possit Antoninus, quum alio loco (³) dicat: Μὴ καταφρόνει θανάτου, ἀλλὰ εὐαρέστει αὐτῷ, ὡς καὶ τούτου ἑνὸς ὄντος, ὧν ἡ φύσις ἐθέλει. Censebat autem mortem tum quidem esse contemnendam, quum malum vel vitium per eam effugere possimus, ne prorsus ignavi; minime vero, si nihil nos ad mortem oppetendam incitet, ne temere et sine ratione egisse videamur. Si igitur mors ultro se nobis offerat, eam tanquam naturae legem aequo animo excipiamus: „Vita enim”, ut ait Seneca (⁴), „cum exceptione mortis data est: ad hanc itur; quam ideo timere dementis est; quia certa exspectantur, dubia metuuntur. Mors necessitatem habet, aequam et invictam. Quis queri potest in ea conditione se esse, in qua nemo

---

(¹) Cic. Tusc. I, 42, Sen. de Prov. c. 6, Epp. 24, 65, M. Ant. VII, § 32. Cum hac sententia convenit locus Platonis in Soc. Apol. p. 368 H ed. Fic., qui etiam occurrit apud Stob. Flor. Tit. 120, 29 ed. Gaisf., p. 886 ed. Gesn. (Francof., apud Wechel. 1581, quam e Gesneri editt. secutus sum), quemque vertit Cicero, Tusc. I, 41. Conferri etiam potest locus Plut. de Anim. Tranq. p. 476 B. (²) M. Ant. VIII, § 58. (³) IX, § 3. (⁴) Ep. 30. Similiter Cicero, de Senect. c. ult., e Catonis Majoris persona mortem in primis in senectute expetendam censet.

non est? Prima enim pars aequitatis est aequalitas. — Jam vero si cui contigit, ut illum senectus leniter emitteret, non repente avulsum vitae, sed minutatim subductum, nae ille gratias agere diis omnibus debet, quod satiatus ad requiem homini necessariam, lasso gratam, perductus est."

Mortem in malis non esse ponendam placitum erat jam ab aliis et antiquioribus philosophis celebratum (¹); fuerunt autem Stoici qui illud in primis exornarent. Mortem Stoici non tantum non malum (²), sed potius discessum a malis (³); mortem vitae miserae (⁴), servituti turpitudinique (⁵) praeferendam, portum aliquando petendum, numquam recusandum (⁶) censebant; si enim mors esset malum, malum foret infinitum quoddam et sempiternum; nihil autem malum, quod cum natura conveniat (⁷); si misera, miseriae finis esse nullus posset; vitae autem miserae ipsa mors finis esse videtur (⁸). Stoici igitur,

(¹) Plato Apol. Socr. p. 363 G ed. Fic., D. L. I, § 35, VI, § 68, X, § 124 sqq., 139, Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. III, § 229 sqq., adv. Gramm. I, § 273, Stob. Flor. Tit. 5, 124, Tit. 118, 30, Tit. 120 ed. Gaisf., Plut. Cons. ad Apoll. p. 106 C, D, Cic. de Fin. II, 31, Tusc. I, 38, Gell. N. A. II, 8, Lucret. de N. D. III, 79 sqq., Lact. Div. Inst. III, 17. (²) Stob. Flor. Tit. 29, 78, tom. II, p. 19 ed. Gaisf., e Musonii libro περὶ ἀσκήσεως, qui, quum mors malum non sit, exercitatione cuique efficiendum censet, ne vitae amore mortem timeat. Cff. Sen. Cons. ad Marc. c. 19, Arrian. ad Epict. I, 24, Cic. Tusc. I, 7, 8. (³) Cf. Cic. l. l. c. 34 sqq. (⁴) M. Ant. IX, § 2 ibique Gatak. Cf. Simpl. ad Epict. c. 16, p. 111. (⁵) Cic. de Off. I, 23. (⁶) Sen. Ep. 70. (⁷) M. Ant. II, § 17. (⁸) Cic. Tusc. I, 8, 42.

licet mortem aeque ac vitam ad res indifferentes referrent, illi tamen majorem aestimationem tribuisse, ipsam igitur mortem ad praeposita retulisse videntur: Τὸ ἐκ πασῶν τῶν πράξεων σύςημα, ὅπερ ἐςὶν ὁ βίος, ἐὰν ἐν καιρῷ παύσηται, οὐδὲν κακὸν πάσχει κατ' αὐτὸ τοῦτο, καθ' ὃ πέπαυται. οὐδὲ ὁ καταπαύσας ἐν καιρῷ τὸν εἱρμὸν τοῦτον, κακῶς διετέθη. — καλὸν δὲ ἀεὶ πᾶν καὶ ὡραῖον τὸ συμφέρον τῷ ὅλῳ. ἡ οὖν κατάπαυσις τοῦ βίου, ἑκάςῳ οὐ κακὸν μέν, ὅτι οὐδὲ αἰσχρόν. εἴπερ καὶ ἀπροαίρετον, καὶ οὐκ ἀκοινώνητον· ἀγαθὸν δὲ, εἴπερ τῷ ὅλῳ καίριον καὶ συμφέρον καὶ συμφερόμενον (1). Hinc etiam non timemus mortem quia naturae, sed quia vivendi cupiditati nostrae repugnat (2), neque ipsam mortem timemus, sed potius cogitationem mortis vel decretum de morte (3); quod si timenda mors esset, semper timenda esset, quod enim tempus morti exemptum est (4)? Sive paucis sive multis annis vixerimus, morte tamen non aliam vitam ab ea quam degimus et non nisi ultimum vitae momentum amittimus (5): „Quotidie morimur; quotidie enim demitur aliqua pars vitae: et tum quoque quum crescimus, vita decrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam: usque ad hesternum, quid-

(1) M. Ant. XII, § 23. Cf. Sen. de Ira I, 16: „Unum bonum tibi superest, repraesentabimus, mortem". Ep. 82: „Etiamsi indifferens mors, non tamen inter ea est quae facile negligi possint". (2) Cf. M. Ant. IX, § 3. (3) Sen. Ep. 30, Epict. Ἐγχ. c. 5, Simpl. ad Epict. c. 10, p. 62, 63. (4) Sen. l.l. (5) M. Ant. II, § 14.

quid transiit temporis, periit; hunc ipsum quem agimus diem, cum morte dividimus. Quemadmodum clepsydram non extremum stillicidium exhaurit, sed quidquid ante defluxit; sic ultima hora, qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat. Tunc ad illam pervenimus, sed diu venimus" (1). Nec tantum sua de morte sententia, sed etiam argumento e contrario a vitae aerumnis et satietate petito, mortis contemtum commendare solebant. In vita enim nullius rei finis est, sed in orbem nexa sunt omnia: fugiunt ac sequuntur. Diem nox premit, dies noctem: aestas in autumnum desinit, autumno hiems instat, quae vere compescitur. Omnia transeunt, ut revertantur: nihil novi videmus, nihil novi facimus. Hinc eadem faciendi videndique satietas, et vitae non odium sed fastidium; hinc multi non quidem acerbum judicant vivere, sed tamen superfluum (2).

Mortem igitur sapiens propitia placidaque mente exspectet tanquam corporis universi sive elementorum, e quibus unumquodque animal consistat, mutationem et dissolutionem (3). Consideret res sibi subjectas a quibus morte divellatur et mores hominum quibuscum communem vitam degerit; inveniet nec res externas tanti pretii esse ut propter eas diutius vivere cupiat, neque immemor erit, quod ab hominibus non idem secum

---

(1) Sen. Ep. 24. (2) Sen. l.l. Cf. M. Ant. II, § 14. (3) M. Ant. II, § 17.

sentientibus vel, opibus suis inhiantibus discessurus sit; hoc enim, si quid aliud, eum a morte retraheret et in vita retineret si cum eadem sentientibus vitam degere ei daretur ([1]). Itaque sapiens sic vivere debet, ut nec mortem oppetat, nec metuat ([2]); illi igitur nec amor vitae, nec odium sit, nec vitae taedio, nec mors timori ([3]); nec spe mortis patienter doleat, nec taedio doloris libenter moriatur; hunc ferat, illam exspectet ([4]); turpissimum enim foret, si eam securitatem ratio ei non praestaret, ad quam stultitia infantes, pueros, mente lapsos perducit ([5]). Mors naturae lex est, mors tributum officiumque mortalium, malorumque omnium remedium ([6]):

> Ubique mors est, optime hoc cavit Deus.
> Eripere vitam nemo non homini potest;
> At nemo mortem: mille ad hanc aditus patent ([7]).

Reputet se actorem esse cujuscunque Deus tanquam magister velit fabulae; si brevis, brevis; si longae, longae; si pauperem eum agere velit, ut et hanc personam ingeniose agat; si claudum, si magistratum, si plebejum, has quoque personas bene agere sui esse muneris; personam vero eligere alterius ([8]). Vitae aliarumque rerum humanarum ususfructus noster est, cujus tempus ille arbiter

---

([1]) M. Ant. IX, § 3. ([2]) M. Ant. III, § 7, Cf. Mart. Epigr. X, 47. ([3]) Sen. Ep. 78. ([4]) Ep. 98. ([5]) Ep. 36. ([6]) Qu. Nat. VI, 32. Cff. Cons. ad Helv. c. 13, ad Marc. c. 19 et Ep. 107. ([7]) Sen. Trag. Theb. Act. I, sc. 1, v. 151 sqq. ([8]) Epict. Ἐγχ. c. 17.

muneris sui tempora, nos oportet in promptu habere, quae in incertum diem data sunt, et appellatos sine querela reddere. Pessimi est debitoris creditori facere convicium (1).

Quemadmodum in navigatione animo in navigium intento nos esse oportet, et continenter respicere ad gubernatoris vocem, si autem vocet, omnia relinquere, ne vincti ad instar ovium in navem conjiciamur, sic quoque in vita, si ejus gubernator Deus nos ad sese revocet, semper parati esse debemus ad sponte libenterque ei obsequendum: ubi vero jam ad senectutem pervenerimus, ne a navi longe recedamus, sed toti in reditum vel ex hac vita discessum intenti simus, ne, quum tempus discedendi affuerit, vocati deficiamus (2). Stoicis scilicet cum Pythagora, Platone (3) aliisque philosophis commune erat hoc placitum, ut in continua mortis meditatione praecipuum philosophiae fundamentum ponerent (4): „Vivere tota vita discendum est, et, quod magis fortassis miraberis, tota vita discendum est mori" (5). — „Egregia res

---

(1) Sen. Cons. ad Marc. c. 10. (2) Epict. Ἐγχ. c. 7, Simpl. ad Epict. c. 12, p. 75 sqq. Simili comparatione utitur Arrian. ad Epict. III, 24, p. 493 ed. Upt. (3) In Phaedone, p. 378 B, C, 379 H, 380 A, 386 A ed. Fic. Cff. Stob. Flor. Tit. 1, 89 ed. Gaisf., Cic. Tusc. I, 30 ibique Dav., de Senect. c. 20. (4) Miror Buddeum, de Err. Stoic. diss. I, § 5, p. 97 sqq., haesisse an hoc placitum Stoicis tribueret. (5) Sen. de Brev. Vit. c. 7. Cff. Ep. 30 et Arrian. ad Epict. IV, 7, in primis ad finem.

est mortem condiscere. Supervacuum forsitan putas id discere, quo semel utendum est? Hoc est ipsum, quare meditari debeamus. Semper discendum est, quod an sciamus, experiri non possumus: meditare mortem. Qui hoc dicit, meditari libertatem jubet; qui mori didicit, servire dedidicit: supra omnem potentiam est, certe extra omnem" ([1]). — „Omnis dies, omnis hora, quam nihil simus ostendit, et aliquo argumento recenti admonet fragilitatis oblitos, quum aeterna meditantes respicere cogit ad mortem" ([2]). Secundum Stoicos igitur sapiens tantum vivit ut mori discat, et tamdiu vivere debet, donec mori didicerit, omniaque sic facere debet, ut statim e vita discessurus ([3]); tum corpore, tum animo a morte eum ita deprehendi oportet, dum ipsius vitae brevitatem, temporis praeteriti atque futuri immensam vastitatem, materiae denique cujusque imbecillitatem respiciat ([4]). Huc spectat Musonius in fragmento quodam apud Stobaeum ([5]): *Οὐκ ἔστι τὴν ἐνεστηκυῖαν ἡμέραν καλῶς βιῶναι, μὴ προθέμενον αὐτὴν ὡς ἐσχάτην βιῶσαι.* Stoicum prorsus est Horatianum illud ([6]):

([1]) Ep. 26. Cf. Ep. 91 in fine. ([2]) Ep. 101. ([3]) M. Ant. II, § 11, 12. ([4]) XII, § 7: quo loco sensus est impeditus, nisi post vocem ψυχῇ signum interrogandi ponatur et vox ἐνθυμούμενον suppleatur. ([5]) Flor. Tit. 1, 83 ed. Gaisf. Similiter Seneca, Ep. 61: „Id ago, ut mihi instar totius vitae sit dies. Nec mehercules tanquam ultimum rapio, sed sic illum adspicio tanquam esse vel ultimus possit". ([6]) Epp. I, 4, 13 sq.

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum:
Grata superveniet quae non sperabitur hora.

Hanc quoque sententiam Martialis (1) ita reddit:

Si sapis, utaris totis, Colline, diebus
Extremumque tibi semper adesse putes.

„Nihil", ut ait Seneca (2), „de hodierna die promittitur. Nimis magnam advocationem dedi: nihil de hac hora. Festinandum est; instat a tergo mors".

---

(1) Epigr. IV, 54. (2) Cons. ad Marc. c. 10.

CAPUT V.

STOICORUM FRAGMENTA ET OPINIONES DE MORTE VOLUNTARIA EORUMQUE EXEMPLA QUI SIBI MORTEM CONSCIVERUNT.

Sit vulgo vita prospera, undique affluentibus copiis, magni habenda, contra vita misera et aerumnis plena contemnenda; secundum Stoicos utraque pariter aestimanda morsque pariter parvi habenda est. Hinc quoque sapiens, quem, ut jam vidimus, Stoici ita informarunt ut ne a Deo quidem cogi invitus possit, atque in virtute permaneat contemtis omnibus vitae impedimentis atque periculis, vitam rem indifferentem nulloque pretio dignam quam virtutem relinquere satius esse ducit; ita tamen ut, quum vitam esse continuam ad mortem progressionem semper recorde-

tur, hanc tum demum relinquat, quum ejus virtus externa vi vel externis vitae casibus periclitetur, ipsa secundum virtutis praecepta agendi facultas ei ademta ipseque vitae muneri satisfecisse sibi videatur. A quibus decretis, ex intima Stoicorum philosophia ductis, quum ipsi Stoici, vulgaris humanae naturae inconstantia et imbecillitate laborantes, sapientisque constantiam et ἀπάθειαν haud raro verbis magis quam re colentes, saepius recesserint; orta est falsa recentiorum de Stoicorum placito περὶ τῆς εὐλόγου ἐξαγωγῆς sententia, qua singulorum opiniones ipsi perperam eorum doctrinae adscripserunt; quod quum per temporis decursum altas jam radices egerit, ne temere cavillandive studio a summis viris dissensisse viderer, totam Stoicorum doctrinam singulaque eorum placita ordine quodam proposui, ut ita sensim ad ipsum illud placitum accederem, in quo exponendo hanc viam optimam esse duxi, ut primum singulorum Stoicorum sententias secundum successionis et aetatis ordinem proponerem, deinde ipsum eorum placitum accuratius indagarem.

Zeno Cittiaeus, Stoicae sectae conditor, nec ipse in doctrina quam profitebatur satis stetisse videtur. Licet neque ipsius, neque ejus successoris Cleanthis, propriam sententiam de hoc placito servaverit antiquitas, et e Diogene Laërtio (1) conjectura tantum efficere liceat, eum quo-

(1) VII, § 130.

que tenuisse vulgarem Stoicorum sententiam, qua pro patria, pro amicis, ob graviorem dolorem, ob mutilationem morbosve insanabiles manus sibi inferre liceret: hoc saltem constat, eum mortem sibi conscivisse; de ratione tantum in varias partes abierunt veteres. Diogenes Laërtius ([1]) et Jamblichus ([2]) tradunt eum e schola abeuntem offendisse digitumque perfregisse; manu tum terram ferientem dixisse illud e Niobe:

Ἔρχομαι, τί μ' αὔεις (Jambl. τί με ἄγεις);

continuoque interiisse, ut Laërtius refert, strangulatione. Rem paullo aliter narrat Lucianus ([3]), qui domum reversum cibi abstinentia vitae finem imposuisse tradit, in ceteris vero cum Laërtio et Jamblicho consentit. Veterum de ejus mortis genere dissensum hoc pentametro retulit Laërtius ([4]).

Τὸν Κιτιᾶ Ζήνωνα θανεῖν λόγος, ὡς ὑπὸ γήρως
Πολλὰ καμὼν λύθη· οἱ δέ, μένων ἄσιτος·
Οἱ δ', ὅτι προσκόψας ποτ' ἔφη, χερὶ γαῖαν ἀλοίσας,
Ἔρχομαι αὐτόματος δή· τί καλεῖς με, μορέ;

Ex quo loco hoc etiam mihi effici videtur, non novam, sed tantum e veterum dissensu ortam esse Luciani sententiam, qua contrarias opiniones componeret et conciliaret.

Cleanthes, octogesimum aetatis annum jam

([1]) VII, § 28, 29. ([2]) Epist. ad Olympium de fortitudine, apud Stob. Flor. Tit. 7, 45 ed. Gaisf. ([3]) In Macrob. c. 19. ([4]) § 31.

agens ([1]), quum medici eum, linguae vulnere, ut Stobaeus ([2]), putredine gingivae, ut Laërtius, tubere in labio, ut Lucianus refert, laborantem, primum cibo abstinere jussissent, post biduum ei melius habenti cibi usum concessissent, abstinere, secundum Laërtium, perrexit, dicens, se mortis viam ingressum, quum maximam hujus itineris partem jam confecisset, nolle reverti; Lucianus vero addit Cleanthem, jam suscepto moriendi consilio, quum supervenirent ipsi a sodalibus quibusdam literae, cibo assumto, primum perfecisse quae amici rogaverant.

Communem Stoicorum sententiam secutus, Chrysippus censuit sapientibus optimum esse non vivere, stultis vero convenire ut in vita maneant: virtutem enim nudam ad vivendum nihil facere, nec vitia et aerumnas quibus laboramus ullius momenti esse ad vitam deponendam; quam ejus sententiam ex ipsius libro περὶ τοῦ προτρέπεσθαι servavit Plutarchus ([3]), qui, ut Chrysippi placitum refellat eumque sibi repugnare ostendat, ex eodem hoc libro haec ejus verba addit: Ἐν αὐτοῖς τούτοις ποτὲ μὲν τοῦ Ἀντισθένους ἐπαινῶν προφέρεται τὸ Δεῖν κτᾶσθαι νοῦν ἢ βρόχον· καὶ τοῦ Τυρταίου τὸ

([1]) D. L. VII, § 176. Lucianus vero l.l. et Valerius Maximus, VIII, 7, eum nonaginta novem annos vixisse tradunt. ([2]) In Flor. Tit. 7, 54 ed. Gaisf. ([3]) De Rep. Stoic. p. 1039 E, F.

Πρὶν ἀρετῆς πελάσαι τέρμασιν ἢ θανάτου.

Ποτὲ δὲ τὸν Θέογνιν ἐπανορθούμενος· Οὐκ ἔδει, φησίν, εἰπεῖν·

Χρὴ πενίην φεύγοντα (1).

μᾶλλον δέ·

Χρὴ κακίαν φεύγοντα, καὶ ἐς βαθυκήτεα πόντον
Ῥιπτεῖν καὶ πετρῶν, Κύρνε, κατ' ἠλιβάτων.

Quibus exemplis, inquit, quid aliud vult significare quam non vivere ipsâ vitâ pravis et insipientibus jucundius esse. Theognidem probans, qui suadet, ut pravitatis fugiendae caussa aliquis se praecipitet aut in mare demergat. Antisthenemque laudans, qui insipientes ad suspendium redigit. Haec Plutarchus (2): nos vero quo melius Chrysippi sententiam proponamus, alium item Plutarchi (3) locum huic addamus: Οὐδὲ ὅλως οἴεται δεῖν Χρύσιππος οὔτε μένειν ἐν τῷ βίῳ τοῖς ἀγαθοῖς, οὔτ' ἐξάγειν ἑαυτοὺς τοῖς κακοῖς, ἀλλὰ τοῖς μέσοις κατὰ φύσιν. διὸ καὶ τοῖς εὐδαιμονοῦσι γίνεται ποτὲ καθῆκον ἐξάγειν ἑαυτούς, καὶ μένειν αὖθις ἐν τῷ ζῆν τοῖς κακοδαιμονοῦσιν. Chrysippi sententia nimirum optime convenit cum reliqua Stoicorum doctrina, secundum quam solus sapiens, vitae munere functus, vitae suae arbiter atque judex esse videatur, solus qui pro virtute vitam relinquere possit; quum contra in stultos, qui ad virtutem nondum escenderint nec

(1) Cf. Ammian. Marc. XXIX, c. 1, p. 448 ed. Ern. (2) l.l. p. 1040 A. (3) De Rep. Stoic. p. 1042 C, D. Eandem quoque sententiam refert adv. Stoic. p. 1063 C, D.

ulla ratione sint praediti, profectio e vita, quippe soli virtuti concessa et ratione nitens, cadere numquam possit; stulto contra mansio in hac vita prosit quam maxime, si forte virtutis fastigium unquam attingere et ex insipiente sapiens fieri possit. Licet de Chrysippi mortis genere non constet inter veteres, nusquam tamen apud antiquos, id quod obiter memorat Laetantius ([1]), eum manus sibi intulisse, me legere memini: Diogenes Laërtius ([2]) enim tradit nonnullos retulisse, vino affatim sumto vertiginem eum cepisse et ita mortuum esse; alios tradidisse eum risu effusum exspirasse: Seneca ([3]) vero, si quidem hoc loco Chrysippum nostrum significat, eum assidua salutatione ad mortem adactum fuisse.

Haec sunt quae de Stoicis qui sibi Athenis in schola successerunt monenda habui; quid vero ceteri de nostro placito statuerint, temporum injuria ad nos perlatum non est: fuerunt tamen praeter hos triumviros etiam alii scriptores, qui, etsi in schola non docuerunt eive praefuerunt, philosophiam Stoicam tamen sectati sunt, quorum e scriptis, nisi omnia, tamen multa adhuc supersunt.

Eratosthenes, inter Stoicos memoratus a Fabricio([4]), Aristonis Chii discipulus ([5]), inedia

([1]) Div. Inst. III, 18. ([2]) VII, § 184, 185. ([3]) Ep. 56. ([4]) B. Gr. II, p. 403. Sententias ejus collegerunt Wintertonus, Poët. Gr. Min. p. 471 et Brunckius, Anal. vett. Poët. Gr. T. I, p. 477, et ejusdem Poët. Gnom. Gr. p. 134. ([5]) Athen. Deipn. VII, p. 281. Strabo, I, p. 27 B, C ed. Alm.

mortem sibi conscivit, ut discimus e Suida ([1]), gravi suscepto dolore propter hebetatam oculorum aciem.

M. Terentii Varronis satyrarum, quas ipse, teste Gellio ([2]), Menippeas vocavit, fragmenta quaedam servavit Nonius Marcellus ([3]). Una earum fuit *περὶ ἐξαγωγῆς*; in qua, ut dicit Lipsius ([4]), videtur contra eos praecipue disputasse, qui aegritudine aliqua aut cura graviore oppressi vim sibi ipsis et manus fortiter, ut putant, afferunt. Sex fragmenta ex hac satyra occurrunt apud Nonium: primum in voce *virgines* ([5]), quod ex veteri codice sic restituit Vossius ([6]): „Quam sympathiam lumbi ad oculos haberent, quid imaginem interesset, puerum utrum essem devirginatum visurus, an *μόνους ἔρωτας* puros, dum cogito". Secundum in voce *stupidus* ([7]): „Andromeda vincta et proposita ceto non debuit patri suo, homini stupidissimo, in os spuere *mul-*

([1]) In voce. ([2]) N. A. III, 18. Cf. Cic. Acad. I, 2. ([3]) Ea collegerunt Rob. et Henr. Stephanus in Frag. Poët. p. 305—364, ediditque una cum ceteris, quae exstant, Varronis scriptis Ausonius Popma. De illius satyris videndus est Is. Casaubonus, de Sat. Poës. L. II, c. 2. Catalogum earum dat Fabr. B. Lat. L. I, c. 7, quem vide etiam B. Gr. II, p. 413. Cff. Car. Henr. Jos. Francken, Diss. lit. exhib. Fragm. M. Ter. Varr., Lugd. Bat., 1836, et Mercurialis, Var. Lect. III, c. 18, p. 75. ([4]) In not. ad Varr. p. 15. Opp. omn. Tom. I, Var. Lect. L. III, c. 3, p. 270. Cf. J. N. Funccius, diss. de morte vol. p. 15. ([5]) p. 458 ed. Paris., 1614. ([6]) Obs. ad Catull. p. 84. ([7]) p. 400, apud Voss. op. l. p. 214.

tam"; quod ultimum verbum Vossius reposuit pro vulgari *vitam*. Videtur Varro hoc exemplo desperationem vitae in adversa fortuna reprehendere voluisse, ut quidem conjecit Mercerius ([1]). Tertium in voce *gangraena:* „Non vituperamus, quum sciamus digitum praecidi oportere, si ob eam rem gangraena non sit ad brachium ventura" ([2]). Quo loco manifeste Stoicorum sectatur εὔλογον ἐξαγωγήν, et argumentum Stoicis haud infrequens adhibet, ut probet fas esse e vita abire et animum integrum servare, quando corpus ad vitium invitet. Quartum in voce *numerus* ([3]): „Quid puer rogasset, et petasatus capite annuisset, ac discedens numero venire ait adolescentem". Quintum in voce *levare* ([4]):

Quamnam te dicam esse feram,
Qui manu corporis fervidos
Aperis lacus sanguinis,
Atque vita te levas
Ferreo ense?

Sextum denique in voce *medicamentum* ([5]): „Quaerit ibidem ab Annibale, cur biberit medicamentum: Quia Romanis, inquit, me Prusiades tradere volebat"; quae caussa, e summo libertatis studio repetenda, primaria Stoicis fuit e vita

([1]) In notis ad Nonium, p. 180. ([2]) Ita hoc fragmentum recepi ex Lipsii emendatione, l.l. Opp. tom. I, p. 270. ([3]) p. 352. ([4]) p. 336. Cf. Lips. Man. ad Stoic. phil. III, diss. 23, quem in hujus loci lectione secutus sum. ([5]) p. 345. Cf. Mercerius in not. ad h. v., p. 180 sq.

abeundi, quam potius mortem sibi quis consciscere debeat, quam tyranni vultus adspiciat.

De Strabone, quod nostrum placitum, nihil notum, nisi quod se ipsum inedia conficere turpe esse duxerit (1).

L. Annaeus Seneca, ubi licet satis ambigua sit ejus sententia, eorum tamen numero, qui mortem voluntariam probant, accensendus videtur. „Ego Herculem" inquit (2), „laudem et Catonem, quod vulnera sua fortiter tulit? Omnes isti levi temporis impensa invenerunt, quomodo aeterni fierent, ad immortalitatem moriendo venerunt." Quum mors sit optima et brevissima via ad libertatem servitutisque omnis effugium (3), inde sequitur ut, si impedimento ministeriis est corpus, oporteat educere animum laborantem. Quod fortasse paullo ante quam debet faciendum est, ne, quum fieri debeat, fieri non possit, et, quum majus periculum sit male vivendi quam cito moriendi, stultus est, qui non exigui temporis mercede, magnae rei aleam redimit (4). In nulla autem re magis, quam in morte, animo morem gerere debemus (5): „Exeat qua impetum cepit: sive ferrum appetit, sive la-

(1) XIII, p. 913 B. Strabonem Stoicorum placitis in primis favisse contendunt Is. Casaubonus in praef. ad Strab. et in notis passim, et Vossius, de Hist. Graec. II, 6. Cf. Fabr. B. Gr., in Stoicorum catalogo, II, p. 412. (2) De Tranq. Anim. c. 15. (3) Ep. 26. Cff. Cons. ad Marc. c. 20, de Prov. c. 6, de Ira III, 15. (4) Ep. 58. (5) Ep. 70.

quaerens sive aliquam potionem rapax corrumpentem, pergat et vincula servitutis abrumpat". Confi-mendus vero animus vel ad mortis vel ad vitae patientiam, nec vitam nimis amemus, nec timere et cum procursu mortem properemus (1). Nullum animal se occidit ipsum; igitur animalibus brutis homo praestat, quod se interficere possit, eo ipso, quod facultatem habeat committendi quae mala faciendique quae bona sunt (2). Etsi igitur Seneca mortem voluntariam, tanquam munus divinum solis animalibus ratione praeditis concessum, commendet, minime tamen e vita pro libitu abeundum esse censuit (3). Morbum morte non fugiam, dummodo sit sanabilis, nec officientem animo; non afferam mihi manus propter dolorem; sic mori vinci est. Hunc tamen si sciero perpetuo mihi esse patiendum, exibo non propter ipsum, sed quia impedimento mihi futurus est ad omne propter quod vivitur. Imbecillus est et ignavus, qui propter dolorem moritur; stultus, qui doloris caussa vivit". Vivat igitur sapiens quantum debet, non quantum potest, et mortem et excipiat et, si res suadebit, arcessat; nihil enim interest, an illa ad nos veniat, an nos ad illam (4). Videat ubi victurus sit, cum quibus, quomodo, quid acturus; si multa occurrunt molesta et tranquillitatem turbantia, emittat se (5); nec hoc

(1) Ep. 24. (2) Cf. Ep. 76. (3) Ep. 58. Cf. Epp. 24 et 70. (4) Ep. 69. (5) Cf. Ep. 17.

abeundi, quam ut potius mortem sibi, quis consciscere debeat, quam tyranni vultus adspiciat.

De Strabone quod nostrum placitum nihil noverit, nisi quod se ipsum inedia conficere turpe esse duxerit (1).

L. Annaei Senecae, licet satis ambigua sit ejus sententia, eorum tamen numero, qui mortem voluntariam probarunt, accensendus videtur. ,, Ego Herculem," inquit (2), ,, flebo aut Catonem, quod vulnera sua fortiter tulit? Omnes isti levi temporis impensa invenerunt, quomodo aeterni fierent, et ad immortalitatem moriendo venerunt." Quum mors sit optima et brevissima via ad libertatem servitutisque omnis effugium (3), inde sequitur ut, si inutile ministeriis est corpus, oporteat educere animam laborantem. Quod fortassis paullo ante quam debet faciendum est, ne, quum fieri debeat, fieri non possit, et, quum majus periculum sit male vivendi quam cito moriendi, stultus est qui non exigui temporis mercede, magnae rei aleam redimit (4). In nulla autem re magis, quam in morte, animo morem gerere debemus (5): Exeat qua impetum cepit: sive ferrum appetit, sive la-

(1) XIII, p. 913 B. Strabonem Stoicorum placitis imprimis favisse contra Xylandrum evincunt Is. Casaubonus in praef. ad Strab. et in notis passim, et Vossius, de Hist. Graec. II, 6. Cf. Fabr. B. Gr., in Stoicorum catalogo, II, p. 412. (2) De Tranq. Anim. c. 15. (3) Ep. 26. Cff. Cons. ad Marc. c. 20, de Prov. c. 6, de Ira III, 15. (4) Ep. 58. (5) Ep. 70.

quaerat sive aliquam potionem, venas rumpat, [illegible] pergat et vincula servitutis abrumpat". Confidimus vero animum vel ad mortis vel ad vitae patientiam, nec vitam nimis amemus, nec temere et cum procursu mortem properemus (1). Nullum animal se occidit ipsum; in eo igitur animalibus brutis homo praestat, quod se interficere possit ipso, quod facultatem habet omittendi quae mala, faciendique quae bona sunt (2). Licet igitur ei etiam mortem voluntariam, tanquam munus divinum solis animalibus ratione praeditis concessum, commendet, minime tamen e vita pro libita abeundum esse censet (3). Morbum morte non fugiam, dumtaxat sanabilem, nec officientem animo; non afferam mihi manus propter dolorem: sic mori vinci est. Hunc tamen si sciero perpetuo mihi esse patiendum, exibo non propter ipsum, sed quia impedimento mihi futurus est ad omne propter quod vivitur. Imbecillus est et ignavus, qui propter dolorem moritur; stultus, qui doloris caussa vivit". Vivat igitur sapiens quantum debet, non quantum potest; exerceat se, ut mortem et excipiat et, si res suadebit, arcessat; nihil enim interest, an illa ad nos veniat, an nos ad illam (4). Videat ubi victurus sit, cum quibus, quomodo, quid acturus: si multa occurrunt molesta et tranquillitatem turbantia, emittat se (5); nec hoc

(1) Ep. 24. (2) Cf. Ep. 70. (3) Ep. 58. Cf. Epp. 24 et 70. (4) Ep. 69. (5) Cf. Ep. 17.

et alio loco Vultejum inducit cohortem his verbis alloquentem [1]:

> Vita brevis nulli superest, qui tempus in illa
> Quaerendae sibi mortis habet: nec gloria leti
> Inferior, juvenes, admoto occurrere fato.
> Omnibus incerto venturae tempore vitae
> Par animi laus est, et quos speraveris annos
> Perdere, et extremae momentum abrumpere lucis,
> Arcessas dum fata manu: non cogitur ullus
> Velle mori. . . . .
> Projeci vitam, comites, totusque futurae
> Mortis agor stimulis: furor est; agnoscere solis
> Permissum est, quos jam tangit vicinia fati,
> Victurosque Dei celant, ut vivere durent,
> Felix esse mori.

Musonius Rufus, si quidem Stobaei fragmentum [2], quod vulgo Teleti Pythagoreo adscribi solet, ei tribuendum sit [3], e vita, quando eam diutius ferre non possumus, ut e concione, e domo vel convivio exeundum esse censet: Καὶ ἐὰν μὲν ἐκποιῇ πενητεύουσι μένειν ἐν τῷ βίῳ· εἰ δὲ μή, ῥᾳδίως ἀπαλλάττεσθαι, ὥσπερ ἐκ πανηγύρεως, οὕτω καὶ ἐκ τοῦ βίου. Καθάπερ καὶ ἐξ οἰκίας, φησὶν ὁ Βίων, ἐξοικιζόμεθα, ὅταν τὸ ἐνοίκιον ὁ μισθώσας οὐ κομιζόμενος τὴν θύραν ἀφέλῃ, τὸν κέραμον ἀφέλῃ, τὸ φρέαρ ἐγκλείσῃ, οὕτω καὶ ἐκ τοῦ σωματίου ἐξοικί-

(1) IV, 478—485, 516—520. (2) Flor. Tit. 5, 67 ed. Gaisf. (3) Cff. p. 210 sup., Gatak. ad M. Ant. V, § 29. Lips. Man. ad Stoic. Phil. III, diss. 22, p. 811, Fabr. B. Gr. VIII, p. 716.

ζομαι· ὅτι [illegible] φύσις τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀφαιρῆται, τὰ ὦτα, τὰς χεῖρας, τοὺς πόδας, οὐχ ὑπομένω, ἀλλ' ὥσπερ ἐκ συμποσίου ἀπαλλάττομαι, οὐθὲν δυσχεραίνων; οὕτω καὶ ἐκ τοῦ βίου; ὅτ' ἂν ἡ ὥρα ᾖ, ἔμβα πορθμίδος ἔρυμα. — καὶ ὥσπερ ἱμάτιον τρίβωνα γενόμενον ἀπεθέμην, καὶ οὐ παρέλκω, οὐδὲ φιλοψυχῶ, ἀλλὰ καὶ δυνάμενος ἔτι εὐδαιμονεῖν ἀπαλλάττομαι. Eandem sententiam Musonius profert in duobus aliis fragmentis (1), quorum alterum fortassis alterius explicatio est: Ἅρπαζε τὸ καλῶς ἀποθνήσκειν, ὅτε ἔξεστι, μὴ μετὰ μικρὸν τὸ μὲν ἀποθνήσκειν σοι παρῇ, τὸ δὲ καλῶς μηκέτι ἐξῇ. — Οὐκ ἔστιν ἐπὶ πολλῶν συμφέροντι ζῶντα καθηκόντως ἀποθανεῖν, μὴ ὑπὲρ πλειόνων ἀποθνήσκοντα συμφέροντι. Egregiae sententiae, quae optime referunt Stoicorum placitum, quo sapienti non nisi opportuno tempore e vita cedere liceat.

Epictetus (2), cui Seneca praeluxerat, Stoicorum facile princeps, cujus sententiam maxime novimus ex ejus dissertationibus ab Arriano collectis, ad Socratis doctrinam proxime accessisse videtur. Sentiebat unicuique quidem qui vitam suam ferre diutius non posset ex ea discedere licere; sapientem vero in eo stulto praestare, ut eam

---

(1) Apud Stob. Flor. Tit. 7, 24, 25. Musonii fragmenta novissime edidit Venh. Peerlkamp. Mus. Ruf. Rel. Cff. item quos citat p. 403. (2) Fabr. II, p. 403, III, p. 257 sqq.

non inconsulto sine justa caussa relinquat; quam caussam tum demum justam esse censet, quum Deus idoneum tempus adesse significaverit, τοῦ θεοῦ σημαίνοντος τὸ ἀνακλητικόν ([1]). Ἄνθρωποι ἐκδέξασθε τὸν θεόν, ὅταν ἐκεῖνος σημήνῃ καὶ ἀπολύσῃ ὑμᾶς ταύτης τῆς ὑπηρεσίας, τότ᾽ ἀπολύεσθε πρὸς αὐτόν· ἐπὶ δὲ τοῦ παρόντος ἀνάσχεσθε ἐνοικοῦντες ταύτην τὴν χώραν, εἰς ἣν ἐκεῖνος ὑμᾶς ἔταξεν· ὀλίγος ἄρα χρόνος οὗτος ὁ τῆς οἰκήσεως, καὶ ῥᾴδιος τοῖς οὕτω διακειμένοις ([2]). Si justa caussa sit nullo modo uxor et liberi aliquem impediant quominus statim, Deo obsecutus, e vita discedat, relictis illis omnibus, nihil respiciendo, nec aegre ferens quod hos omnes relinquere debeat ([3]). Idem vero quum cognovisset, quendam sodalium suorum nulla de caussa inedia necem sibi consciscere statuisse, et jam tertium diem abstinentiam illam urgere: Quid, inquit, eo te impulit? Nam si recte decrevisti, assidemus tibi adjutores futuri ut e vita decedas; sin perperam statuisti, muta consilium. Decretis quidem insistendum est, non vero omnibus, sed rectis ([4]). Maxime vero delectatus est Epictetus comparatione corporis cum domo, cujus incolam animum vocat, cujusque fores apertae ei, qui animi corporisque vinculis se liberare studet, tutum exitum praebeant ([5]).

([1]) Arrian. ad Epict. I, 9, 29, III, 24. ([2]) Ib. I, 9. ([3]) Epict. Ἐγχ. c. 7. ([4]) Arrian. ad Epict. II, 15. ([5]) I, 9, 24, 25, II, 1, III, 8, 13, 22, 24, 26, IV, 10.

Ut ceteri Stoici, ita quoque M. **Antoninus** docuit animum ad migrandum e corpore semper paratum esse debere, ne quem mors inopinata invadat, vivendumque semper ita esse quasi e vita discedendum sit; si id minus permiserint ii quibuscum hic degimus, si excidere nos statu nostro nec tueri eum digne posse senserimus, exeundum esse e vita, aequo animo, ne mali quid passi esse videamur, ut e domo discedimus, quum fumus nobis molestus esse incipiat; quod si vero nihil ad exeundum nos adigat, liberi maneamus et ea tantum velimus, quae animantis ratione praediti et ad societatem nati naturae sint consentanea (1). Quis vero nos impedit, quominus boni simplicesque simus, modo is, qui talis non sit, decernat ex vita discedere, ratio enim non evincit eum vivere, qui talis non sit (2). Tum demum igitur ex ejus sententia violentas nobis inferre licet manus, quando secundum naturam non amplius vivere possumus (3); melius enim esse non vivere, quam non secundum naturam vivere (4): Τοῦτο μὲν οὖν κατὰ ἄνθρωπόν ἐςι λελογισμένον, μὴ ὁλοσχερῶς, μηδὲ ὠςικῶς, μηδὲ ὑπερηφάνως πρὸς τὸν θάνατον ἔχειν. ἀλλὰ περιμένειν ὡς μίαν τῶν φυσικῶν ἐνεργειῶν (5). Turpis igitur habetur is qui animo despondeat, dum corpore adhuc vigeat, neque exspectet tubae sonitum qui receptui canat: Ἔσο. ἔτι δὲ ὁ ἐν σοὶ θεὸς ἔςω

(1) V, § 29, VIII, § 47, X, § 8. (2) X, § 32. (3) III, § 1, V, § 10. (4) X, § 15. (5) IX, § 3.

πραγματ... καὶ Ῥωμαίων καὶ ἄρχοντες, ... ἑαυτόν, οἷος ἂν εἴη τις περιμένων τὸ ἀνακλητικὸν ἐκ τοῦ βίου ἐκλύτως (²).

Haec de Stoicis sufficiant. Ex allatis exemplis apparet quam pauci fuisse memorentur, qui per aliquot seculorum decursum, per quae viguit secta Stoica, voluntaria nece maturius quam suo fato exstincti sint; atque in his adeo, qui a doctrinae quam profitebatur praeceptis in morte oppetenda non recesserit, ut verum profitear, nullus. Zeno enim inconstans fuit decreti, dolorem non esse malum et sapientem dolore non commoveri; Cleanthes et Euphrates, sapienti ut mortem non timere, ita vitam quoque taedio esse numquam licere (¹); Seneca vero et Lucanus, quorum mortis caussa, vis tyrannidis, justa et probabilis Stoicis videtur, potius coacti mortis genus sibi elegisse quam sponte mortem sibi intulisse dicendi sunt. Si ipso loco, argutius egere vel temere eos, qui Stoicam doctrinam praeceptis morti voluntariae favisse contendunt, refellere videar, hic universam Stoicorum doctrinam cum hoc, de quo agimus, placito componat et subsequentia imperii Romani, ... tempora, quibus religionis Christianae praecepta suicidio maxime repugnanti, comparet ...

(¹) III, § 5; cum quo loco conferenda est similis Epicteti sententia apud Arrian. I, 29. (²) Supra p. 216.

tate, qua floruit maxime secta Stoica, in Stoicorum doctrina reperiet longe plura praecepta quae a morte voluntaria dissuadeant, ad fortitudinem et constantiam in vitae aerumnis perferendis adhortentur, quam quae suasionis quandam speciem prae se ferant, et, historia teste, subsequentibus his temporibus sexcenta suicidii exempla pro uno Stoico inveniet.

His addendi sunt alii, quorum sententia de morte voluntaria, licet veri nominis Stoici dici vix possint, proxime accedit ad Stoicorum placitum περὶ τῆς εὐλόγου ἐξαγωγῆς, vel qui in morte oppetenda fortitudinem Stoico dignam ostenderunt.

Celebratum in primis ab antiquis fuit nobilissimum illud Arriae facinus, quae, quum ejus conjux Caecina Paetus, qui in partibus Scriboniani contra Claudium fuerat, Romae in vinculis detineretur, pectus suum ferro transfodit, et extracto e vulnere pugione porrectoque, hac voce Paete, *non dolet*, ipsa marito hortatrix fuit, ut hic quoque in suum pectus ferrum converteret [1]. Quod factum, in quo Stoicorum praecepta, mortem servituti turpitudinique esse praeferendam, mortem ut virtutem incolumem servemus, vim tyrannidis effugere licitum esse, non esse quod commoveamur dolore, deprehendimus, Martialis [2] hoc epigrammate immortalitati mandavit.

---

[1] Dio Cassius, LX, 16, Zonara, XI, 9. Cf. Fabr. B. Gr. II, p. 416. [2] Epigr. I, 13.

Casta suo gladium quum traderet Arria Paeto,
Quem de visceribus traxerat ipsa suis,
„Si qua fides, vulnus quod feci non dolet", inquit;
„Sed quod tu facies, hoc mihi, Paete, dolet".

„Praeclarum quidem illud", ait Plinius ([1]), „ferrum stringere, perfodere pectus, extrahere pugionem, porrigere marito, addere vocem immortalem ac paene divinam, Paete, *non dolet*".

Thrasea Paetus, Caecinae Paeti gener, admirator unicus Catonis Minoris, de cujus vita rebusque, teste Plutarcho ([2]), librum scripsit, quem summis laudibus extulit et ad cujus exemplum vitam composuit, etsi Demetrii Cynici discipulus fuerat, ob doctrinam Stoicis accensendus videtur. Librum scripsit de affectibus, in quo quaesivisse videtur, quatenus sapienti fas vel jus esset sibi ipsi mortem consciscere ([3]). Nero ei infensus, vultum, spiritus et libertatem insontis ultro extimescens ([4]), accedentibus aliis item caussis, quod senatu egressus est, quum de Agrippina referretur, quodque juvenalium ludicro parum expetibilem operam praebuerat, Patres, ut de eo judicium ferrent, vocari jussit. Ex amicis sua-

([1]) Epp. III, 16. ([2]) In Cat. Min. p. 770 F, 777 B. ([3]) Lips. Opp. omn. Tom. II, Cent. 2, Ep. 22 et in epistola ad Theod. Leewium, quam Vellejo suo praemisit. Cff. Fabr. B. Gr. II, p. 413 et Brucker, Hist. Phil. II, p. 83 sq. ([4]) Plut. reip. ger. praec. p. 810 A. Hoc libertatis studium apparet ex ejus dicto quodam, quod, ut refert Arrianus, ad Epict. I, 1, in ore habere solebat: Se hoc ipso die interfici malle, quam crastino in exsilium relegari.

dentibus aliis, aliis dissuadentibus defensionem tentaret, Thrasea, porrectis utriusque brachii venis, humum cruore effuso superspargens, propius vocato quaestore, *libemus*, inquit, Jovi Liberatori, et sic, lentitudine exitus graves cruciatus afferente, nullo commotus dolore, hanc ad libertatem viam placide ingressus est ([1]). Hoc ejus dictum refert Dio Cassius ([2]): Nero *me potest occidere, laedere certe non potest*, ductum e Stoicorum praeceptis, mortem in malis non esse habendam, sapientemque injuria non affici. Ejus gener Helvidius Priscus, qui Stoicis quoque accensetur a Fabricio ([3]) ipseque violentas manus sibi intulit, e moribus soceri nihil aeque ac libertatem hausit ([4]).

T. Aristonem ([5]), arctissimo amicitiae vinculo cum Plinio Minore conjunctum, Stoica praecepta esse secutum duplici indicio scriptores vulgo contendunt: primum quod adversam valetudinem incredibili patientia tulerit, febrium ardorem immotus atque opertus transmittens; deinde quod morte animum a morborum molestiis liberare destinaverit, precibusque uxoris ac liberorum a proposito aegre deductus fuerit, ut ex his Pli-

([1]) Tac. Ann. XVI, 21 sqq. Cff. XIII, 49, XIV, 48 sq., Suet. in Ner. c. 37, Dio Cass. LXII, 26, 27, Xiph. Epit. p. 182 ed. Henr. Steph., Plin. Epp. VIII, 22, Mart. Epigr. I, 8, IV, 54. ([2]) LXI, 15. Cf. Xiph. p. 165. ([3]) B. Gr. II, p. 404, 410 sq. ([4]) Cff. Tac. Hist. IV, 5 sqq., Ann. XVI, 33, 35, Plin. Epp. VII, 19, IX, 13, Dio Cass. LXVI, 12. ([5]) Exstat de eo disputatio Cons. Enschedé, Lugd. Bat., 1830.

nii([1]) verbis apparet: „Nuper me paucosque meorum, quos maxime diligit, advocavit, rogavitque, ut medicos consuleremus de summa valetudinis, ut, si esset insuperabilis, sponte exiret e vita; sin tantum difficilis et longa, resisteret maneretque. Dandum enim precibus uxoris, dandum filiae lacrimis, dandum etiam nobis amicis, ne spes nostras, si modo non essent inanes, voluntaria morte desereret". Quae argumenta licet conveniant cum plerorumque Stoicorum sententia, justam e vita recedendi caussam esse dolores insuperabiles, pugnant tamen cum ipsa sapientis informatione, secundum quam sapiens nulla re, nec dolore igitur, vinci aut commoveri queat.

Tacitum Epicureum vocant Lipsius ([2]) et Alembertus ([3]), Atheum Tillemontius ([4]), Stoicum denique Crollius ([5]) et Diderotus ([6]); verior autem Stäudlini ([7]) sententia, qui eum revera nullam sectam aemulatum esse censet; quippe par ei caussa fuit cum Livio, ut a nonnullis ob voluntariae necis exempla, quae cum specie quadam probationis attulit, Stoicus perhiberetur; nos vero in his magis agnoscimus Romanorum indolem, qui mortem pro patria, sive ferro

---

([1]) Epp. I, 22. Cf. VIII, 14. ([2]) Ad Tac. Ann. XVI, 33, XIV, 12. ([3]) Mél. de litt., d'hist. et de phil. T. III, p. 32. ([4]) Hist. des Emp. T. II, p. 7. ([5]) Praef. ad Tac. T. I, § 14, not. 1, Bipont., 1779. ([6]) Philos. des Etrusq. et des Rom., Coll. compl. des oeuvres phil., litt. et dram. T. I, p. 541, Lond., 1773. ([7]) Gesch. des Scept. II, S. 300, 309.

hostili, sive propriis manibus illatam, summis laudibus extulerunt, quam Stoicorum doctrinam, licet hi quoque vim tyrannidis justam e vita recedendi caussam esse duxerint.

CAPUT VI.

QUARE STOICI EDUCTIONEM E VITA ΕΥΛΟΓΟΝ DIXERINT.

Variis de morte voluntaria Stoicorum sententiis expositis, ad ipsum hujus disquisitionis propositum, accuratius indagandi, quid Stoici τῇ εὐλόγῳ ἐξαγωγῇ (1) intellexerint, jam sponte devenimus, magnamque nostri muneris partem explevimus, quum, a calce ad cárcerem progressi, hoc placitum reliquae Stoicorum doctrinae inniti optimeque cum ea convenire docuimus. Relinquitur tamen gravis etiamnunc pars, ut, ipso placito accuratius exposito, tam antiquorum quam recentiorum fal-

(1) De hoc placito conferantur, praeter scriptores quos suo loco retulimus, Gatakerus ad M. Ant. III, § 1, p. 62 sq., Uptonus ad Arrian. ad Epict. I, 9, Tom. II, p. 34, 35, Beierus, Exc. XV ad Cic. Lib. I de Off.

sas et praejudicatas de eo opiniones, quoad ejus fieri possit, redarguamus vel corrigamus. Primum vero de ipsa voce aliisque formulis, cognationis quasi jure cum ea conjunctis, videamus.

Philosophi, quamvis revera ἡ ψυχὴ sit quae educitur, numquam tamen dicunt *ἐξάγειν τὴν ψυχήν*, *emittere animum*, sed *ἐξάγειν ἑαυτόν* (1), *se emittere* (2). Haec dicendi formula atque ipsa vox *ἐξαγωγὴ* non Stoicis propriae erant, sed communes cum ceteris Graecis, qui iis licitum et honestum mortis voluntariae genus indicare solebant. Obviae sunt apud Stobaeum (3), Plutarchum (4), non tantum in iis scriptis, in quibus Stoicorum doctrinam exponunt vel redarguunt, sed etiam in ceteris, apud Athenaeum (5), Clementem Alexandrinum (6), Plotinum, qui peculiarem librum scripsit *περὶ τῆς εὐλόγου ἐξαγωγῆς*, Porphyrium (7), Appianum (8), Xenophontem Ephesium (9), Josephum (10), Lucianum (11), Hieroclem (12), Synesium (13),

(1) D. L. VII, § 130 ibique Men. (2) Sen. Ep. 70. (3) Ecl. Eth. p. 226, Flor. Tit. 7, 45, 55 ed. Gaisf. (4) De Rep. Stoic. p. 1042 D, adv. Stoic. p. 1063 C, 1076 B, in M. Ant. p. 957 E, Lac. Inst. p. 242 D, decem orat. vit. p. 837 E. (5) Deipn. p. 157 B, 160 F. (6) Strom. IV, p. 571, 576 ed. Pott. (7) De Abst. I, § 38, II, § 47, in vitis Plot. c. 11, Pythag. p. 52 ed. Amst. 1707. (8) De B. C. IV, c. 23. (9) De Anth. et Habr. V, 6. (10) Ant. Jud. VII, c. 9, § 8, XIV, c. 13, § 10. (11) Tom. III, p. 328 ed. Hemst. et Reitz. (12) Aur. carm. p. 210 ed. Lond. 1742. (13) Epist. ad Anast. p. 52 ed. Par. 1553.

Heraclidem Ponticum ([1]), Olympiodorum ([2]), Heliodorum ([3]), Eustathium ([4]).

Innumerae fere sunt formulae quibus tam Graeci quam Romani utebantur ad voluntariam hanc actionem exprimendam; ex quibus praecipuas hic recensere sufficiet. Primum apud Stoicos: *ἑαυτὸν διαχειρίζεσθαι* ([5]), *ἐξέρχεσθαι* ([6]), *ἀπέρχεσθαι* ([7]), *ἐξιέναι τοῦ βίου* ([8]), *ἐκ τοῦ ζῆν ἀπιέναι* ([9]), *προεξάγειν ἑαυτὸν ἐκ τοῦ ζῆν* ([10]), *ἀπαλλάττεσθαι ἐκ τοῦ βίου* ([11]), *ἐκ τοῦ σωματίου ἐξοικίζεσθαι* ([12]), *προλείπειν τὸν βίον, προσφέρειν ἑαυτῷ τὰς χεῖρας* ([13]), *τὴν θύραν ἀνοίγειν* ([14]), *ἀπολύεσθαι* ([15]), *ἀποκαρτερεῖν* ([16]), *exire* vel *exsilire e vita* ([17]), *vita se levare* ([18]), *sibi manus afferre*, *educere ani-*

([1]) Περὶ πολιτ. θ, Προδ. Ἑλλην. Βιβλ. p. 211. ([2]) Schol. in Plat. Phaed. Cod. Ms. Voss. N°. 38 fol., Bibl. Lugd. Bat. N°. 55 fol., ab init. ([3]) Aethiop. II, p. 112, VIII, p. 377. ([4]) Ad Hom. Iliad. Γ, v. 173, ed. Rom. Tom. I, p. 400. ([5]) In Photii Bibl. Cod. XCIV. Ἰαμβλίχου Βαβυλωνικὰ ἢ Ῥοδάνους καὶ Σινωνίδος ἔρως: τοῖς τοῦ ἑαυτοῦ διαχειρισαμένου αἵμασιν· quo loco Chardon de la Rochette, Mélanges de Critique et de Philologie, Tom. I, p. 81, correxit τοῖς τοῦ ἑαυτὸν κ. τ. λ., Imm. Bekkerus, τοῖς τοῦ ἑαυτὸν διαχρησαμένου αἵμασιν. ([6]) Arr. ad Epict. II, 15, III, 8, M. Ant. V, § 29, X, § 8. ([7]) M. Ant. II, § 11, V, § 29. ([8]) l.l., X, § 8. ([9]) VIII, § 47. ([10]) Polyb. Ἱστορ. XXX, 7, 8. ([11]) Arr. ad Epict. I, 24, Stob. Flor. Tit. 5, 67 ed. Gaisf. ([12]) Stob. l.l. ([13]) Polyb. II, 31, 2. ([14]) Arr. ad Epict. passim. ([15]) I, 9. ([16]) II, 15. ([17]) Sen. de Prov. c. 2, Epp. 17, 24, 54, 58. ([18]) Supra p. 227.

mum (1), *injicere manus fatis* (2), *arcessere fata manu* (3). Praeter istas formulas hae item apud ceteros reperiuntur. Apud Graecos: *αὐτόχειρι σφαγῇ λείπειν βίον* (4), *αὐτοφόνον τύμβον ἐπισπᾶσθαι* (5), *πραθῆναι ἐπ' ἐξαγωγῇ*, frequens dictio apud oratores et ICtos Graecos, *θανάτῳ περιπίπτειν* (6), *θάνατον αἱρεῖν* (7), *αὐτὸν αὐτόχειρα γίνεσθαι τῆς σφαγῆς* (8), *αὐτόχειρα ἑαυτοῦ γίνεσθαι* (9), *φονέα εἶναι αὐτὸν ἑαυτοῦ καὶ αὐθέντην, ἑαυτὸν θανάτῳ ἀποδιδόναι* (10), *ἀπονήχεσθαι τοῦ σώματος* (11), *σφᾶς αὐτοὺς δαπανᾷν* (12), *ἐθελοντηδὸν τελευτᾷν, ἀποθνήσκειν ἐθελοντήν* (13), *διαχρῆσθαι, καταχρῆσθαι, ἀποσφάττειν, ἀναιρεῖν ἑαυτόν* (14), *τὸν δεσμὸν ἀναλύειν* vel *λύειν* (15), *ἀπολύεσθαι ὑπὸ σφῶν αὐτῶν* (16), *ἀπολύεσθαι τοῦ ζῆν* (17), *ἀπάγχεσθαι* (18), *ἑαυτὸν ἐκ τοῦ*

---

(1) Sen. Ep. 58. (2) Luc. Phars. III, 242. (3) IV, 484. (4) Eurip. Orest. v. 945 sq. (5) Anthol. Gr. Lib. I, Tit. 33, Epigr. 16 ed. H. de Bosch. (6) Gal. de locis affect. Lib. V, c. 1. (7) Isocr. Archid. Tom. II, p. 58 ed. Batt. (8) Chrys. Bern. et Prosd. Tom. II, p. 644 ed. Montf. (9) Dio Cass. Hist. Rom. LVII, 24. (10) Clem. Alex. Strom. IV, p. 571 ed. Pott. (11) Plut. de Anim. Tranq. p. 476 A. (12) App. de B. C. IV, 15. (13) Dio Cass. LVIII, 15, LXIX, 8. (14) Plut. in M. Bruto, p. 1002 E, 1004 F, Aesch. adv. Ctes. vol. III, p. 606, 636 ed. Reisk., Dio Cass. XLIII, 9, LXI, 9, Arist. Rhet. I, 14, App. de B. C. IV, 15, Jos. de B. J. III, c. 7, § 34, Zenobius, Cent. VI, 17. (15) Nic. Blemmidas, Epit. Log. c. 4, Olymp. l.l., p. 1. (16) App. de B. C. II, 80. (17) Diod. Sic. Βιβλ. Ἱστορ. III, 33. (18) App. de B. C. IV, 26, Luc. Tom. III, p. 56, Plut. de

ζῆν μεθιςάναι ἑκουσίως ([1]), καταλύειν τὸ ζῆν ([2]), καταλύειν τὸν βίον ἑκουσίως ([3]), ἐξορίζειν ἑαυτὸν τοῦ κοινοῦ βίου ([4]), ἐξέρχεσθαι vel ὑπεξέρχεσθαι τοῦ βίου ([5]), ἐκλείπειν, λύειν, μεταλλάσσειν, περιγράφειν, προΐεσθαι, ῥίπτειν τὸν βίον ([6]), ποιεῖσθαι τοῦ βίου καταςροφήν ([7]), ἀπέρχεσθαι ἐκ τοῦ βίου ([8]), aliae. Apud Latinos: *sibi lethum parare manu* ([9]), *se per omnes vias lethi interficere* ([10]), *sibi consciscere lethum, necem, mortem* ([11]), *mortem sibi ultro ingerere* ([12]), *sibi inferre manus* ([13]),

---

adul. et amici discr. p. 70 F. Cf. Perizonius, de morte Judae et verbo ἀπάγχεσθαι, p. 144 sqq. ([1]) Diod. Sic. op. l. XVII, 107, de Virt. et Vit. XXXVII, Tom. II, p. 614 ed. Wess. ([2]) Chrys. ad Galath. c. 1, Tom. X, p. 664 ed. Montf. ([3]) Plut. in Lyc. p. 57 F. ([4]) Const. orat. de Them., p. 22. B ed. Par. 1684. ([5]) Plot. Enn. I, Lib. IX περὶ ἐξαγ. init., Stob. Flor. Tit. 7, 54 ed. Gaisf., D. L. VI, § 77. ([6]) Luc. in Macrob. c. 19, Olymp. l.l. p. 3, D. L. VI, § 100, Plut. in Pelop. p. 279 A, Heliod. Aeth. p. 62 (ed. Par. 1619). ([7]) Diod. Sic. Βιβλ. ἱςορ. XVII, 107. ([8]) Plut. in Bruto, p. 1002 F, Libanius, Decl. VIII, p. 339, XII, p. 390, Luc. Tom. III, p. 56. ([9]) Virg. Aen. VI, 434 sq. ([10]) Liv. Hist. XXXI, 18. ([11]) Lucret. de N. D. III, 81, Plin. H. N. XXV, 7, XXXVI, 24, 3, Gell. N. A. XIII, 19, Cic. in Verr. Act. II, Lib. III, c. 56, pro Cluent. c. 61, Tusc. I, 34, de Off. I, 31, in Bruto, c. 11, Lael. c. 12, Caes. de B. G. I, p. 7 et III, p. 112 ed. Mont., L. III, princ., § 1, 6, 8 Dig. de bon. eor., L. II Cod. eod., L. VI, § 7 Dig. de re mil., L. XXIII, § 3 Dig. de aed. edict., L. XLV, § 2 Dig. de jure fisc., L. VI, § 7 Dig. de inj. rupt. irr. fact. test. ([12]) August. Ep. 88. ([13]) Lact. Div. Inst. III, 18, L. III, princ., § 3, 5 et 6 Dig. de bon.

sibi inferre mortem, *mortem spontaneam* ([1]), *procurrere ad mortem* ([2]), *mortem adsciscere* vel *occupare* ([3]), *ultro se morti offerre* ([4]), *voluntaria morte obire* ([5]), *voluntaria morte vivendi cupiditatem calcare* ([6]), *mortem sibimet irrogare* ([7]), *migrare*, *migrare de* vel *e vita* ([8]), *a vita abire* vel *desciscere* ([9]), *e vita excedere* ([10]), *exire de* vel *e vita* ([11]), *vita se ipsum privare* ([12]), *sua sibi manu vitam exhaurire* ([13]), *projicere animam* ([14]), *sibi non parcere* ([15]), aliae.

Ut Stoici totum mundum unam deorum atque hominum communem civitatem, ita corpus nostrum animi tegumentum sive domum ipsumque animi a corpore discessum egressionem ex una domo in alteram esse dicebant, quod cum alii, tum prae ceteris Epictetus docuit.

Contendunt Lipsius ([16]), Stäudlinus ([17]),

---

eor., L. I Cod. eod., L. LXV, § 2 Dig. de jur. fisc., L. XXXVIII, § 12 Dig. de poen., L. XXXVI princ. Dig. de furt., L. I, § 22 Dig. de sen. cons. Sil. ([1]) Aug. cont. Gaud. I, 31, de Pat. c. 13, de Civ. Dei I, 24, 26, XIX, 4. ([2]) Plin. Epp. I, 22. ([3]) L. II Cod. qui test. fac. poss. vel non, Sen. Tr. Herc. Oet. 774, 884. ([4]) Caes. de B. G. VII, p. 355. ([5]) Suet. in Galba, c. 3. ([6]) Amm. Marc. XXIX, 5. ([7]) Tac. Ann. IV, 10, L. III, § 5 Dig. de bonis eorum. ([8]) Cic. de Fin. III, 18, I, 19, Vell. Pat. H. R, I, 11, Cic. de Rep. VI, 15. ([9]) Tusc. I, 30, de Fin. III, 18. ([10]) de Fin. l.l. ([11]) Plin. Epp. III, 9, I, 22. ([12]) Cic. de Orat. III, 3. ([13]) pro Sext. c. 21. ([14]) Virg. Aen. VI, 436. ([15]) L. III, § 6 Dig. de bon. eor. ([16]) Opp. T. II, Cent. 2 Misc., Ep. 22, p. 148 et T. IV, Man. ad Stoic. Phil. III, diss. 22, 23. ([17]) Gesch. der Vorst. und Lehren vom Selbstm. S. 48 ff.

Lipsiumque secuti recentiores plerique ([1]), Stoicos mortem voluntariam virtutem duxisse, eosque nec ullam hujus placiti caussam dedisse nec sibi constitisse, sed a reliqua ipsorum doctrina longe recessisse; quam suam sententiam ut confirment, Zenonis, Cleanthis aliorumque Stoicorum exempla afferre solent. Jure an falso ita statuerint, neutri parti faventes, agedum accuratius indagemus.

Ut exposita Stoicorum doctrina sapientem informavimus, ipsumque, omnibus bonis instructum, summe beatum, nec vitae illecebris teneri nec mortem reformidare docuimus, ita nunc, ad ipsam hanc sapientis imaginem placitum περὶ τῆς εὐλόγου ἐξαγωγῆς exigendum est.

Ut saepe tempore fit, ut quod turpe plerumque haberi soleat, inveniatur non esse turpe, quodque quibusdam temporibus et caussis turpe sit, aliis utile fiat, et ut alicui aliquando licitum videatur, quod aliis in eadem caussa non liceat ([2]); ut igitur naturarum differentia tantam vim habet, ut nonnumquam mortem sibi consciscere officium alii videatur, alii in eadem caussa non videatur ([3]); ita

([1]) Eandem sententiam atque Lipsius amplexi sunt Dedekind, Feder, Petitus, 'sGravesande, Ab Oosten de Bruyn, Hoogwerff, Thierens, van de Perre et Cau inter antiquiores scriptores, inter recentiores Brill, Nieuwenhuis et Fabius. ([2]) Cic. de Off. III, 4. Cf. Robeck, exerc. phil. de εὐλ. ἐξαγ. p. 9 sqq. ([3]) Cf. Cic. de Off. I, 31.

quoque Stoici sapienti, quem, Deo parem, Dei quasi simulacrum in hac terra, tantaque consilii praestantia praeditum esse censebant, ut vitae suae fines metiri et quando eam relinquere liceat optime judicare possit, huic ipsum Deum vitae suae arbitrium reliquisse statuebant. Huic igitur sapienti, quum eum statum obtinuerit, qui et in animo, et in corpore, et in rebus externis cum virtute maxime consentiat, qui vitam potius deponat quam a virtutis via deflectat, non tantum licet, sed etiam eum oportet quandoque discedere e vita, cujus munere sit functus, modo justa migrandi caussa ei data sit; stultus contra vel homo vulgaris, quippe munere non functus, nullo casu, ne in summis quidem vitae miseriis, juste, opportune vel cum ratione eam relinquere potest; sed „quum vitiorum", ut e Catonis sententia ait Cicero (1), „ista vis non sit, ut caussam

(1) De Fin. III, 18, quem locum Tiedemannus, System der Stoisch. Phil. III, S. 318, perperam ita interpretatus est quasi stultus, qui non sit in majore parte earum rerum, quas secundum naturam esse dicimus, mortem sibi inferre debeat; quum contra tam ex ipsis Ciceronis verbis quam e Chrysippi sententia, illud redeat, stultum numquam judicare posse, quando e vita discedendum sit, οὐκ εὐλόγως ἐξάξειν ἑαυτόν, quum, etiamsi manendi in vita et migrandi ratio primis illis naturae metienda sit, ipsa haec prima naturae sub judicium solius sapientis et delectum cadant, sintque subjecta quasi materies sapientiae; stulto adeo, quum ipsis vitiis in vita retineatur, vita morte magis prosit. (Cf. supra p. 183). Haec hujus Ciceronis loci itemque Chrysippeae

afferant mortis voluntariae, perspicuum est, etiam stultorum, qui iidem miseri sint, officium esse manere in vita, si sint in majore parte earum rerum, quas secundum naturam esse dicimus. Et quoniam excedens e vita et manens aeque miser est, nec diuturnitas ei magis vitam fugiendam facit, non sine caussa dicitur, iis, qui pluribus naturalibus frui possint, esse in vita manendum". Φασὶ δέ ποτε (οἱ Στωϊκοί), ut ait Stobaeus (¹), καὶ τὴν ἐξαγωγὴν ἐκ τοῦ βίου τοῖς σπουδαίοις καθηκόντως κατὰ πολλοὺς τρόπους, τοῖς δὲ φαύλοις (²) τὴν μονὴν ἐν τῷ ζῆν, εἰ μὴ μέλλοιεν ἔσεσθαι σοφοί· οὔτε γὰρ τὴν ἀρετὴν κατέχειν ἐν τῷ ζῆν, οὔτε τὴν κακίαν ἐκβάλλειν· τοῖς δὲ καθήκουσι καὶ τοῖς παρὰ τὸ καθῆκον μετρεῖσθαι τήν τε ζωὴν καὶ τὸν θάνατον.

---

sententiae interpretatio specie magis quam re pugnare videtur cum his Plutarchi verbis, adv. Stoic. p. 1063 C: ᾧ μηθὲν ἀγαθόν ἐστι μηδὲ ἔσται, τὰ δεινὰ δὲ πάντα καὶ τὰ δυσχερῆ καὶ κακὰ πάρεστι καὶ παρέσται διὰ τέλους, τούτῳ μὴ καθήκειν ἀπολέγεσθαι τὸν βίον, ἂν μή τι διὰ τῶν ἀδιαφόρων αὐτῷ προσγένηται· quippe non ipsius Chrysippi verba, sed vaga tantum et contorta Plutarchi expositio Chrysippi sententiae, quam totidem fere verbis novimus eandem fuisse, atque ea quam Cicero Catoni tribuit. Cf. supra p. 223 sq. Confudit nimirum Tiedemannus vulgarem αὐτοχειρίαν, e Stoicae doctrinae principiis improbatam, cum τῇ εὐλόγῳ ἐξαγωγῇ, solo Stoico licito mortis voluntariae genere. (¹) Ecl. Eth. p. 226. (²) Rite Madvigius, ad Cic. de Fin. III, 18, p. 452, vocem μηδέ, quam Heerenius receperat, expungendam esse ducit.

Quum autem Stoica sapientis informatio tantam in sapiente virtutis perfectionem postulet, ut eam vulgaris homo assequi nemo possit, atque adeo omnes Stoicos, qui manus sibi conscivissent, doctrinam quam profiterentur minime tenuisse evincat, ut de ipso Catone sit quod dubitemus num justam moriendi invenerit caussam, a vero parum abesse nobis videmur, statuentes, non quidem Stoicos, sed ipsam eorum doctrinam mortem voluntariam non tantum non suasisse, sed revera improbasse, quamque Stoici praedicarunt εὔλογον ἐξαγωγὴν in solum sapientem, Dei similem, minime vero in vulgares homines cadere potuisse. Hinc quoque Stoici usi sunt leniore vocabulo, τῇ εὐλόγῳ ἐξαγωγῇ, eductione rationali seu abitu e vita cum ratione consentiente, ut omnia mali ominis ac temeritatis indicia ab hoc facinore averterent, simulque ostenderent soli sapienti, ipsa ejus virtute periclitante, cum ratione et consilio e vita cedere licitum esse (1).

Plura utique distinguenda sunt mortis voluntariae genera; alia enim est mors quam propriae miseriae finiendae caussa aliquis sibi conscivit, alia quam ob alterius salutem obiit. Eorum quidem, qui pro re publica, pro amicis (2) certae morti se

---

(1) Cff. P. Victorius, var. lect. Lib. VI, c. 11. p. 82, Voetius, de hom. et laes. sui ipsius, Disp. theol. IV, p. 245, Funccius, de morte vol. p. XV. (2) D. L. VII, § 130. Pro amicis moriendum esse etiam statuit Euripides; quum

devoverunt, honorata fuit memoria virtusque summis laudibus elata; de is autem qui, quum vitae aerumnas ferre non possent, vim sibi intulerunt, diversa ferebantur judicia. Stoici vulgo caussas quinque, ob quas sapiens mortem sibi conscisceret, probasse feruntur, rei publicae salutem, dogma a Stoicis multis locis celebratum, vim tyranni, mentis delirium, dolores corporis, sed tantum vehementiores (1), et summam paupertatem (2), ut refert Olympiodorus in scholiis ad Platonis Phaedonem (3): Οἱ Στωϊκοὶ πέντε τρόπους ἔλεγον εὐλόγου ἐξαγωγῆς· ἀπείκαζον γὰρ τὸν βίον συμποσίῳ, καὶ ἔλεγον ὅτι δι' ὅσας αἰτίας λύεται τὸ συμπόσιον διὰ τὰς αὐτὰς δεῖ καὶ τὸν βίον λύειν. λύεται τοίνυν τὸ συμπόσιον διὰ χρείαν ἄφνω μεγάλην ἐπιςῶσαν (4)· οἷον διὰ παρουσίαν φίλου ἄφνω ἐλθόντος, ἢ διὰ τοὺς ἐπεισκωμάζοντας (5), αἰσχροῤῥημονοῦντας, ἢ διὰ καταλα-

autem Stoici veterum poëtarum sententiis sua scripta irrigare solerent, non mirum quin etiam hoc praeceptum ab Euripide fluxerit. (1) D. L. VII, § 130: Εὐλόγως τέ φασιν ἐξάξειν ἑαυτὸν τοῦ βίου τὸν σοφόν, καὶ ὑπὲρ πατρίδος καὶ ὑπὲρ φίλων· κἂν ἐν σκληροτέρᾳ γένηται ἀλγηδόνι, ἢ πηρώσεσιν, ἢ νόσοις ἀνιάτοις. (2) Sen. Epp. 17 et 70, Arrian. ad Epict. I, 9. Cf. supra p. 229 sq. (3) l.l. p. 3. Cff. Taylorus, Duct. Dubit. p. 139, Fabrotus, Exerc. de morte vol., in Ever. Otton. Thes. Jur. Rom. T. III, p. 1187, Feder, de morte vol., in Tydemanni, Synt. p. 526 sq. (4) Verba διὰ τὰς -- συμπόσιον, si quidem fides habenda Fabroto, desiderantur in Ms. Bibl. Reg. Par.; in quo deinceps legitur ἢ διὰ χρείαν ἄφνω μεγάλην ἐπιςάσεως. (5) In Ms. Par. ἐπικωμάζοντας.

βοῦσαν μέθην λύεται τὸ συμπόσιον, καὶ διὰ (1) παρατιθέμενα νοσερὰ ὄντα. ἔτι μὴν καὶ διὰ πέμπτον τρόπον, δι' ἔνδειαν τῶν παρατιθεμένων· καὶ τὸν βίον δὲ λυτέον διὰ πέντε τρόπους. οἷον, διὰ χρείαν λύεται τὸ συμπόσιον, δεῖ οὖν (2) λύειν τὸν βίον καὶ διὰ μεγάλην χρείαν, ὡς Μενοικεὺς ἀποσφάξας ἑαυτὸν ὑπὲρ τῆς πατρίδος. ἀλλὰ καὶ δι' αἰσχροῤῥημοσύνην, οὕτω οὖν δεῖ λύειν καὶ τὸν βίον διὰ τύῤῥαννον (3) ἀναγκάζοντα εἰπεῖν τὰ ἀπόῤῥητα. ὃ καὶ Πυθαγορεία (4) τις γυνὴ πεποίηκεν, ἀναγκαζομένη εἰπεῖν διά τι οὐκ ἐσθίει κυάμους, ἔφη γάρ, φάγοιμι ἄν, ἢ εἴποιμι ἄν; εἶτα ἀναγκαζομένη φαγεῖν, ἔφη· εἴποιμι ἄν, ἢ φάγοιμι ἄν; καὶ τέλος ἀπέτεμε τὴν γλῶτταν· ὡς καὶ διαλεκτικὸν καὶ γευστικὸν ὄργανον. ἀλλὰ καὶ διὰ μέθην λύεται τὸ συμπόσιον. οὕτω οὖν (5) καὶ τὸν βίον λύειν δεῖ διὰ τὸν παρεπόμενον τῷ σώματι λῆρον. φυσικὴ γάρ ἐστι μέθη ὁ λῆρος. ἀλλὰ καὶ διὰ τὰ παρατιθέμενα νοσερὰ ὄντα. καὶ τὸν βίον οὖν λυτέον (6) διὰ τὸ τὸ σῶμα νόσοις ἀνιάτοις κατεχόμενον, καὶ ἀνεπιτήδειον πρὸς τὸ ὑπουργεῖν τῇ ψυχῇ. ἀλλὰ καὶ δι' ἔνδειαν τῶν προσαγομένων λύεται τὸ συμπόσιον. οὕτω καὶ διὰ πενίαν δεῖ ἐξάγειν ἑαυτούς, ἐὰν μὴ πάρεστιν ἀπὸ ἀγαθῶν λαμβάνειν. οὐ γὰρ ληπτέον (7) ἀπὸ φαύλων, μιαρὰ γὰρ ἀπὸ μιαρῶν δῶρα, καὶ οὐ δεῖ οὐδὲ (8) τούτοις μο-

---

(1) διὰ τά. (2) οὖν om. (3) τύραννον. (4) Πυθαγορία. (5) οὖν om. (6) ὄντα καὶ τὸν βίον λυτέον· οὕτω καί. (7) ληπτέων. (8) οὐδὲ om.

λύνειν ἑαυτόν. Ex quibus caussis, cum Platonis et Plotini quae praecesserant sententiis collatis, hanc argumentationem deinceps concludit Olympiodorus (1): Τί οὖν ἡμεῖς φαμέν. εἰς ἀντίφασιν (2) γὰρ περιέϛη (3) ὁ λόγος. πῶς γὰρ καὶ ἀθέμιτον τὸ ἐξάγειν ἑαυτόν, καὶ εὔλογον; ἢ οὐ δεῖ μὲν ἐξάγειν ἑαυτὸν ὅσον ἐπὶ τῷ σώματι· πρὸς κακῷ γάρ ἐϛι τοῦτο (4) τῷ σώματι· ἀλλὰ καὶ εὔλογον ἐξάγειν ἑαυτούς, διὰ μεῖζον ἀγαθὸν συντελοῦν τῇ ψυχῇ. οἷον ὡς ἤνικα βλάπτεται ὑπὸ τοῦ σώματος. ὥσπερ γὰρ ὁ βουλευόμενος ἐκεῖνα αἱρεῖται οἷς ἐλάσσονα μὲν κακὰ ἕπεται μείζονα δὲ ἀγαθά. καὶ ὥσπερ ἀνόσιον μὲν φίλῳ τυπτομένῳ μὴ ἀμύνειν, εἰ δὲ τύπτοιτο ὑπὸ πατρὸς οὐκ εὔλογον ἀμύνειν, οὕτω καὶ ἐνταῦθα καὶ ἀθεμιτὸν ἐξάγειν ἑαυτὸν διὰ τὸ σῶμα καὶ εὔλογον ποτὲ διὰ τὴν ψυχήν, λυσιτελοῦντος αὐτῇ ποτε τούτου. Disertissimum hunc locum totum hic describendum esse duxi, cum quia non in omnium manibus versatur, tum quia vulgarem Stoicorum sententiam uno quasi conspectu et eleganti comparatione cum convivio, Stoicis item frequentata, proponit.

His quinque e vita excedendi caussis a nonnullis ex ipsis Stoicae doctrinae principiis haec objiciuntur: bonum et virtutem constare tantum in appetendis fugiendisque iis rebus quae sunt in nostra potestate, virtutem igitur nobis invitis nullo modo auferri posse; beatam vitam cum virtute esse

---

(1) p. 3 sq. (2) ἀντίφρασιν. (3) περίεϛι. (4) τούτῳ.

conjunctam, ergo non temere atque adeo sponte abrumpendam; quae tamen objectio, cujus conclusionem falsam esse apparet, Stoica ratione ita dilui potest: virtutem vitamque beatam in eo cerni, ut omnia opportune, hoc est, naturae convenienter, fiant; sapientem igitur tum demum convenienter naturae vixisse, quum desciscat a vita licet beatissimus, si id opportune facere possit (1); quocirca judicabit beatus ille sapiens an mortem sibi consciscere debeat et quaenam officia sibi incumbant (2). Alteri vero objectioni, inde orta quod summos dolores summamque paupertatem caussis mortis sibi inferendae accenserent, huic ipsi Stoici quod sciam non habuerunt quod responderent. Licet enim plurimi ita ratiocinentur, vitam beatam esse naturae convenientem, vitam ergo naturae adversam, qualis esset quae summis cruciatibus, egestate aliisve vitae aerumnis premeretur, libere sapienterque finiendam, haec argumentatio ipsi Stoicae doctrinae repugnat; nam dolor, paupertas, ceterae vitae aerumnae, res indifferentes, sapientem commovere vel conturbare

---

(1) Cic. de Fin. III, 18; quo igitur loco verba: *quod est convenienter naturae vivere*, minime cum Madvigio transponenda, sed potius e summa illa vi quam opportunitati, soli sapientis judicio subjectae, tribuerunt Stoici, ita interpretanda sunt: sapientem, ubi semel opportunitatem e vita recedendi omiserit, convenienter naturae vixisse non amplius dici posse; secundum Stoicos enim, ut deinceps ait Cicero, opportunitatis esse beate vivere. (2) Cf. M. Ant. III, § 1.

non possunt, ergo nec caussae esse cur e vita cedat.

Ex his nimirum apparet, ipsum quidem placitum optime convenire cum reliqua Stoicorum doctrina, hujusque decreti caussam in ipsa sapientis informatione latere, hanc igitur εὔλογον ἐξαγωγὴν non virtutem, sed virtutis remedium seu conservationem, praesidium vel sepimentum esse dicendam; Stoicos vero, quum, pro imbecillitate humanae naturae, saepius, ut mortis sibi consciscendae caussam invenirent, suae doctrinae austeritatem mitigarent ipsumque placitum vulgari hominum naturae suaeque indoli magis accommodarent, in hoc placitum quaedam intulisse, quae cum ceteris Stoicae doctrinae praeceptis pugnent.

Quum profecto nullum sit placitum de quo omni tempore tam diversa lata sunt judicia quam de Stoicorum decreto περὶ τῆς εὐλόγου ἐξαγωγῆς, praecipuas scriptorum de eo sententias hic referre juvat, ut comparando verum facilius dignoscamus nostramque sententiam magis etiam illustremus.

Plutarchus, ut ab antiquis incipiam, acerrimus, ut notum, Stoicorum adversarius, Chrysippi eandemque vulgarem Stoicorum sententiam, sapientibus, licet beatissimis, nonnumquam e vita cedere concessum esse, miseri vero sive stulti officium esse ut vitam producat, ita refutat, ut censeat summam in hac sententia inesse repugnantiam in rerum delectu atque fuga, si quidem beatissimis ob defectum rei indifferentis, neque ex-

petendae neque fugiendae, bona praesentia relinquere liceat; insipientibus vero mala, nempe infeliciter vivere, non malis, scilicet non vivere, videantur potiora ([1]); a ratione alienum esse cedere e vita, si cui nihil adest mali; alienius etiam, aliquem dimittere bonum, propterea quod non potiatur indifferentibus, quod eos facere qui praesentem felicitatem atque virtutem projiciant, quod sanitate aut incolumitate careant ([2]). Huic Plutarchi argumentationi ex ipsa Stoica doctrina haec objici posse videntur: sapientem non ob defectum rei indifferentis beatitatem relinquere, sed potius morte cavere ne haec beatitas atque sua ipsius virtus periclitetur; licet enim ipsa virtus nullis rebus externis sapienti adimi possit, facultas tamen agendi secundum virtutem externis impedimentis ita coërceri potest, ut non nisi inanis virtutis species relinquatur; quod universe de philosophis ait Clemens Alexandrinus ([3]), nos vero optimo jure de Stoicis item contendimus: Αὐτίκα εὔλογον ἐξαγωγὴν τῷ σπουδαίῳ συγχωροῦσιν εἴ τις τοῦ πράσσειν οὕτω τηρήσειεν αὐτόν, ὡς μηκέτι ἀπολελεῖφθαι αὐτῷ μηδὲ ἐλπίδα τῆς πράξεως. Plutarchi verba quae novissime retulimus non est

([1]) De Rep. Stoic. p. 1042, in primis B, D. Cf. adv. Stoic. p. 1060 C. ([2]) Adv. Stoic. p. 1063 E. ([3]) Strom. IV, p. 576 ed. Pott. Similiter M. Ant. VIII, § 47: Μὴ λυποῦ. οὐ γὰρ παρά σε ἡ αἰτία τοῦ μὴ ἐνεργεῖσθαι. ἀλλὰ οὐκ ἄξιον ζῆν, μὴ ἐνεργουμένου τούτου.

quod refutemus; propter morbos enim vel aerumnas vitam relinqui cum ipsa Stoicorum doctrina pugnare jam supra docuimus ([1]).

Aliquanto felicius et majore cum specie probabilitatis Alexander Aphrodisiensis in notissimo libello, εἰ αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν ([2]), ex ipsis Stoicae doctrinae principiis ostendere conatus est, quam Stoici praedicarent εὔλογον ἐξαγωγὴν prorsus esse ἄλογόν τε καὶ ἄτοπον ([3]): Quo modo, inquit, virtute praedito et beate viventi profectio e vita rationi consentanea dici potest? Ut enim absurdum est dicere: Jovem velle mori; ita aeque absurdum se ipsum cum ratione ex hac vita educere; nam mirum est et cum ratione pugnat, quum malum nec praesens sit nec futurum, summa vero adsit felicitas, vitam et virtutem ipsam velle relinquere. Hoc enim virtutem sapienti suggerere, quo modo rationi est consentaneum? Neque enim cum ratione convenit aliquem, ut aliarum rerum, ita quoque felicitatis satis adeptum esse. Nulla enim est felicitatis et virtutis satietas, nam earum rerum quae summum bonum constituunt, desiderium est infinitum. — His objici possunt et Stoicorum placitum, de quo supra jam egimus ([4]),

---

([1]) p. 240 et 255 sq. ([2]) Lib. II de Anima. ([3]) Idem recentiori aevo suscepit Raumburger, de morte voluntaria, thes. 46 sqq., primum Alexandri argumentis utens, deinde singulorum Stoicorum errores, non vero ipsam Stoicam doctrinam, impugnans. ([4]) p. 249 sqq.

quo sapientem opportuno tempore vitam relinquere oporteat, et ea quibus modo Plutarchi argumentationem refutavimus; in ipsa autem Alexandri confutatione vitia quaedam latent: primum, quod Jovem mortali, mortalem immortali Deo eadem trutina eademque comparatione adaequaverit, mortem, quae ne in Jove quidem cogitari potest, suae comparationis caput esse voluerit; deinde, quod sapientem una cum vita virtutem relinquere statuerit, quum contra rationalem hanc e vita profectionem sapienti virtutis praesidium vel conservationem esse ostenderimus.

„Quae mala", ait Augustinus (1), „Stoici philosophi miror qua fronte mala non esse contendant, quibus fatentur, si tanta fuerint, ut ea sapiens vel non possit, vel non debeat sustinere, cogi eum mortem sibimet inferre, atque ex hac vita emigrare"; quam mortis sibi consciscendae caussam, licet Stoicis frequentatam, ipsi dogmati de rebus indifferentibus et malorum contemtu repugnare jam vidimus.

„Asserunt" (Stoici), ut contendit Buddeus (2), vulgari homini ea tribuens quae in solum sapientem cadunt, „fas esse homini, praesertim sapienti, violentas sibi inferre manus et sponte e vita abire". Plerosque adeo Stoicos eo usque insaniae progressos esse censet, ut vel morbi, vel doloris, vel cu-

(1) De Civ. Dei XIX, 4. (2) De Err. Stoic. V, § 5, Anal. Hist. Phil. p. 192 sqq.

juscunque miseriae evitandae caussa vitae finem sibi accelerare pulchrum et gloriosum duxerint.

Moshemius, iniquius in nostrum placitum invectus, vulgarem recentiorum secutus sententiam, in doctrina sua morali a Millero edita ([1]) censet Stoicos eximiae suae doctrinae morali summam adspersisse maculam, quum non tantum principia quaedam constituerent secundum quae sui ipsius necem concederent, sed adeo nonnullos eorum qui mortem sibi consciverint ut viros fortissimos in coelum tollerent, mortemque voluntariam virtutem ducerent.

Meyboomius ([2]) de Stoico sapiente locutus: „Suae sortis", inquit, „moderator ipse, interdum quoque, si ita oporteat, vitam abrumpit, non culpa adactus, quoniam hac vacat, sed si vel sint ipsi vel fore videantur plurima naturae contraria; tum, quando omnia subacta sunt, ferox animus sapientis non flectitur, nec cedit: resistit, quantum vires ferunt, quae si deficiant, spiritum illum, quem per totam vitam liberum et invictum habuit, liberum quoque, nulla servitutis labe contaminatum, emittit, et alteram adit vitam, qua cum iis conjungatur, qui ipsum antecesserunt".

„Les Stoïciens", ut refert Charronus ([3]),

([1]) Hujus operis, germanice conscripti, belgicam tantum versionem legere mihi contigit: J. P. Miller, de Zedenl. der H. S. van J. L. van Mosheim, door Ad. AB[zs]. van Moerbeek, VI, § 11, bl. 415 volg. ([2]) Op. l. p. 134. ([3]) De la Sagesse, Liv. II, Ch. XI, § 20 ed. Par. 1635.

„n'y veulent pas tant de façon: car sans tant de raisons ils permettent de deloger à qui bon semble, comme il se voìd en Seneque et autres: les autres philosophes sont un peu plus retenus, mais tous le permettent avec quelque raison".

Mérian, in opere quod de suicidio scripsit ([1]): „Les Stoïciens avoient ceci de commun avec les Brachmanes, qu'ils faisoient d'une méditation continuelle de la mort le point capital de leur Philosophie: selon eux le Sage ne doit vivre que pour apprendre à mourir. On conçoit les effets de cette philosophie sépulcrale qui sans cesse offusquoit leur esprit, et noircissoit leur imagination. Aussi cet apprentissage si vanté de la mort ne les instruisoit-il pas à la voir venir d'un oeil ferme, mais à se la donner pour les sujets les plus minces et les plus frivoles. — Leur morale, toujours sur des échasses, et faite pour des intelligences d'un ordre supérieur, produisoit un combat perpétuel entre l'homme et le philosophe. De là tant de contradictions entre leurs différentes maximes: de là l'impossibilité d'accorder la pratique avec la théorie: de là ce contraste d'orgueil et de foiblesse, et tous les désordres qui s'en suivent. Il ne leur restoit donc, dans les occasions critiques, que de couper le noeud qu'ils ne pouvoient résoudre; et il falloit bien que ces balons remplis de vent et de fumée crevassent plutôt que de se désenfler. —

([1]) Acad. de Berlin, Tom. XIX, p. 392 suiv.

Par quel caprice cet être si sublime et si heureux a-t-il toujours le bras levé pour se percer? Il est, disent-ils, rassasié de la vie...... Il est donc rassasié du suprême bonheur dont il jouit...... Il meurt, disent-ils, pour se désennuyer...... Et de quoi? ne seroit-ce pas de sa Sagesse? Sagesse plaisante en effet, qui le rend insensible à la Douleur, sans pouvoir le sauver de l'Ennui".

Ex nostratibus Antonius Matthaeus [1]: „Ex sapientibus", inquit, „qui Stoicorum praeceptis imbuti erant, existimabant, posse interdum sine scelere sapientem pretiis vivendi mortis rationes anteponere, quum nimirum summa ratio, quae sapientibus pro necessitate est, ad tam triste consilium impellit".

„Die älteren" (Stoiker), ut ait Tennemannus [2], „hielten den Selbstmord für etwas Erlaubtes, wenn der Tugendhafte Gründe habe, den Tod dem Leben vorzuziehen. Seneca aber streicht den freiwilligen Tod als den höchsten Grad der Tugend heraus. Und doch sind alle seine Gründe für den Selbstmord nichtig, zum Theil sogar unmoralisch und im Widerstreit mit dem, was er anderswo für Pflicht erklärt hatte".

„Les Stoïciens", ut monuit Montanus [3],

---

[1] De Crim. ad Lib. XLVIII Dig., Tit. V, de Sic. p. 477. Cf. Meerman, de autoch. p. 5. [2] Gesch. der Phil. Th. V, S. 169 folg. [3] Mich. de Montaigne, Essais, Liv. II, ch. 3, Tom. II, p. 24 ed. Par. 1725.

„ disent, que c'est vivre convenablement à nature, pour le sage, de se departir de la vie, encore qu'il soit en plein heur, s'il le faict opportunément. Et au fol de maintenir sa vie, encore qu'il soit miserable, pourveu qu'il soit en la plus grande part des choses, qu'ils disent estre selon nature"; quae sententia tota desumta videtur e Ciceronis loco, de quo supra jam vidimus ([1]).

Optime vero de Stoicis eorumque philosophiae indole et praestantia judicavit Maupertuisius ([2]) his verbis: „En lisant les écrits de ces Philosophes (les Stoïciens), on seroit tenté de croire que ce qu'ils proposent est impossible: cet empire sur les opérations de notre ame, cette insensibilité aux peines du corps, cet équilibre entre la vie et la mort, ne paraissent que de belles chimeres. Cependant, si nous examinons la maniere dont ils ont vécu, nous croirons qu'ils y étoient parvenus, ou qu'ils n'en étoient pas éloignés: et si nous réfléchissons sur la nature de l'homme, nous le croirons capable de tout, pourvu qu'on lui propose d'assez grands motifs; capable de braver la douleur; capable de braver la mort; et nous en trouverons de toute part des exemples".

Ex his sententiis, quas si singulatim perpendere voluissem, argumentorum similitudine saepius taedio lectorem affecissem, apparet plerorumque erro-

---

([1]) p. 249 sq. ([2]) Essais de Phil. Mor. ch. 5, Opp. Tom. I, p. 224.

rum fontem in eo latere, quod vel sapientem Stoicum a vulgari homine non caute distinxerint, vel etiam singulorum Stoicorum errores eorum doctrinae adscripserint, iisque velut maculis hanc adsperserint et polluerint. Quibus maculis quum totam Stoicam doctrinam, maxime vero placitum περὶ τῆς εὐλόγου ἐξαγωγῆς, contaminari, Stoicamque philosophiam, qua nulla fortassis magis divina praecepta contineat, negligi et oblivioni mandari animadverterem; hujus contemtus caussam praecipue invenire mihi visus sum in praejudicatis posterorum opinionibus de hujus sectae placitis et in nimia fide quam Plutarchi, acerrimi Stoicorum adversarii, judicio recentior aetas tribuerit. Quod ubi perspicerem, in tota hac disquisitione eo maxime enixus sum, ut quaecunque adventitia essent caute removerem, totumque illud placitum e mera Stoica doctrina ducerem; cetera vero singulorum Stoicorum placita, quae ab hac doctrina aliquatenus recederent, ne omittendo in incuriae crimen inciderem, comparationis tantum caussa adderem, ita tamen ut unicuique facile appareat, quae germanae illorum doctrinae, quae non ei tribuenda sint. Hinc ille conspectus totius Stoicae philosophiae, quo maximam hujus disquisitionis partem absumsi, ut ex eo sapientis informationem vere et non nisi e Stoicis praeceptis adumbrarem. Hinc illa sapientis informatio, unde placitum de summo bono, de fine quo omnes sapientis actiones tendere debeant, quasi sponte manaret.

Hinc placitum de summo bono, ut pulcherrima Stoicorum similitudo, qua vitam sapientis cum sagittarii scopo comparant, quam nemo interpretum quod sciam satis feliciter explicuit, illustraretur. Hinc tandem Stoicorum sententia de vita et morte, ut ope horum omnium ipsum placitum περὶ τῆς εὐλόγου ἐξαγωγῆς explicaretur et vera luce, rejectis adventitiis omnibus, proponeretur, simulque appareret omnes Stoicos, qui manus sibi intulerint, potius suae naturae impulsum quam Stoicae doctrinae praecepta esse secutos.

Quum igitur e Stoica philosophia appareat, sapienti vel honeste vivendum vel honeste moriendum esse, ipsam εὔλογον ἐξαγωγήν, quae in solum sapientem cadere potest, numquam desperationis, ignaviae, non expletae ambitionis, frustrati amoris, liberorum aliorumve propinquorum vel rerum externarum amissionis, ne doloris quidem et paupertatis delinimentum vel remedium, sed solius virtutis praesidium esse dicendam; de uno tandem Catone, quem Stoici perfectum sapientem praedicarunt, quaeri potest num e Stoicae doctrinae principiis mortis sibi consciscendae justam caussam invenisse videatur; quae disquisitio, quum nunc demum, ipso placito exposito, rite absolvi possit, eam singularis capitis argumentum mihi proposui.

CAPUT VII.

DE CATONE.

De nullo facto tam antiqua quam recentior aetas tam diversa judicia tulerunt quam de Catonis morte voluntaria: quidam ignavia, alii superbia vel gloriae cupidine [1], alii metu turpis mortis, alii, ut Lactantius [2] et Petrarcha [3], vanitate stulta, invidia, impatientia eum ad eam incitatum fuisse sibi persuasum habuerunt; nonnulli factum illud summis laudibus extulerunt; plurimi autem non e Stoicae doctrinae, sed e Platonicae philosophiae [4] vel e religionis Christianae praeceptis illud improba-

---

(1) Cf. Nieuhoff, εὐθανασία, in primis p. 39. (2) Div. Inst. III, 18. (3) De Remed. utriusq. fort., lib. II, dial. 118. (4) Petitus, misc. observ. Lib. IV, c. 3, p. 253.

runt. Nos igitur, ne in similes errores incidamus, tria maxime animadvertamus, primum ejus indolem atque mores; deinde quod philosophiae Stoicae principiis imbutus fuerit; denique temporum, quibus vixit, conditionem (1).

Quo semel, ut ait poëta, *est imbuta recens, servabit odorem testa diu;* ita quoque Cato virtutes, quibus provecta aetate tanto opere excelluit, jam in juventute prodidit. Ut ceteras ejus dotes mittam, quae propositum nostrum minus spectant, erat ei probitas et severitas morum, constantia, nullis illecebris cedens; malis pernicies, nihil largiundo gloriam adeptus, esse quam videri bonus malebat (2), ubique, per lusum adeo, inflexibilis, inconcussus, intrepidus, ubi semel conceperat consilium, ab eo numquam se deflecti patiebatur (3), ut canit Lucanus (4):

Hi mores, haec duri immota Catonis
Secta fuit, servare modum, finemque tenere,
Naturamque sequi, patriaeque impendere vitam.

Vix quatuordecim annos natus magnum jam prodidit libertatis studium. Quum enim Syllae fa-

---

(1) Cf. Oratio Patris Car.: Over het karakter en den dood van Cato den jongen, in actis soc. Brux. Concordia, vol. I, p. 125—153, Brux., 1820. (2) Plut. in vita, p. 761 D, 762 A, C, Sallust. in Catil. c. 54. Cff. Cic. Phil. XIII, 14, pro Milone, c. 22, Sen. Ep. 104, Hor. Epp. I, 19, 12 sqq., August. de Civ. Dei V, 12. (3) Plut. p. 759 E, 760 B, C, Val. Max. III, 1. (4) Phars. II, 380 sqq.

ciuora ejus justitiae sensum et generosam indolem maxime commoverent, multorumque qui illustres dicebantur virorum capita efferri et praesentes occulte ingemiscere videret, rogavit Sarpedonem magistrum, Syllam cur interficeret nemo? Quum hic respondisset: Puer, timent magis eum quam oderunt. Quin igitur, inquit, mihi gladium porrigis, ut, eo interempto, patriam a servitute vindicem (1)?

Non mirum igitur Catonem, cujus tota vivendi agendique ratio etiam tum temporis, quum Stoicis praeceptis nondum imbutus esset, Stoicum ejus ingenium jam prodidit, qui, ut summo animi impetu ad virtutem ducebatur, ita maxime coluit severam illam justitiam (2), quae nulli benevolentiae atque indulgentiae studio cederet, Antipatrum Tyrium Stoicum (3) in contubernium allexisse, et Athenodorum, inter Stoicos excellentem, nuntiis, literis, legatione et colloquio in amicitiam suam traxisse (4). Hinc quoque Cato, quum de magnitudine animi, de continentia, de morte, de omni laude virtutis, de diis immortalibus, de caritate pa-

---

(1) p. 761 A, Val. Max. III, 1. (2) Vell. Pat. H. R. II, 35. (3) De hoc philosopho loquitur Cicero de Off. II, 24; ex quo loco efficiendum videtur eum de officiis scripsisse; Fabricius, B. Gr. II, p. 388, hunc locum refert ad Antipatrum Tyrium juniorem, suae autem sententiae rationes satis probabiles non affert. Cf. Plut. in Cat. Min. p. 761 C. (4) Plut. in vita p. 763 E. Cf. Idem in libello: phil. esse cum princ. p. 777 A.

trine, Stoice, oratoriis ornamentis adhibitis, dicere soleret, a Cicerone, ex cujus sententia vir divinus et singularis, perfectus adeo Stoicus, exstiterat ([1]), in libris de Finibus inducitur Stoicorum sententiam de summo bono contra Epicureos summo ardore propugnans: „M. Catonem", ait Cicero initio libri tertii ([2]), „vidi in bibliotheca sedentem, multis circumfusum Stoicorum libris. Erat enim in eo inexhausta aviditas legendi, nec satiari poterat". Idemque in Bruto ([3]), Stoicorum jejunam, horridam et incultam orationem perstringens: „Unum", inquit, „excipio Catonem, in quo, perfectissimo Stoico, summam eloquentiam non desiderem". Factum itaque est ut Cicero ([4]), Seneca ([5]), aliique contenderent, solum Catonem fuisse qui jure mortem sibi consciverit, quique per totam vitam, per omnes vitae suae casus, ipsa adeo morte, se Stoicae sapientiae fastigium attigisse probaverit: „Catonem", ait Se-

---

([1]) Cic. de Fin. III, 2 sqq., Parad. in prooem.. Ciceronis nunc deperditam laudationem in Catonem eique oppositum Caesaris Anti-Catonem memorant ipse Cicero, Epp. ad Att. XII, 40, Top. c. 25, Orat. c. 10, Plutarchus in vita Ciceronis, p. 880 E, Appianus, de B. C. II, 99, Gellius, N. A. XIII, 19, Dio Cassius, XLIII, 13. Catonis laudationem conscripsit item M. Fadius Gallus, teste Cic. Epp. ad Fam. VII, 24. ([2]) c. 2. Cff. sup. p. 78, 80 sqq., 93, 135, 142, 148 sqq., 153 sqq., 200. ([3]) c. 31. Cf. de Legg. III, 18. Catonis laudes Cicero celebravit etiam in oratione pro domo c. 8 et 9, § 20 sqq. Cf. c. 25. ([4]) Cf. Epp. ad Fam. IX, 18. ([5]) De Prov. c. 2, Epp. 67, 82.

neca ([1]), „certius exemplar sapientis viri nobis deos immortales dedisse, quam Ulixem et Herculem prioribus seculis. — Neque enim Cato post libertatem vixit, nec libertas post Catonem". Ipsa Catonis vita ([2]) exemplum nobis praebet quo ejus sententia de morte voluntaria, quam Chrysippeam fuisse novimus, maxime illustratur. Erat Statyllius quidam, vir in flore aetatis, qui fortis esse et Catonis infractum animum sequi affectabat, hunc ut abnavigaret oravit, ubique enim notum erat ejus odium in Caesarem; ubi vero recusavit, Apollonium Stoicum et Demetrium Peripateticum intuitus Cato: Vestri muneris est, inquit, tumentem mollire atque adducere ad id quod ex ejus usu est; eo ipso significans, mortem non pro libitu esse oppetendam suumque exemplum sequi vulgari homini, Stoicae philosophiae praeceptis minime imbuto, nequaquam licere.

Quodsi temporum conditionem attendamus, haec quo angustiora sunt, eo majore laude dignus est qui has difficultates superat et ad finem vitae aequabilem tenet cursum. Tempora quibus Cato vixit talia fuerunt ut non fieri potuisset quin vir, tam praestanti indole praeditus, omnes suas ingenii mentisque dotes exseruisset et immortalem gloriam consecutus esset. In dubio illo certamine liberta-

---

([1]) De Const. Sap. c. 2. Cff. Ep. 95 sub finem et supra p. 165 et 228. ([2]) Plut. p. 791 E.

tis cum tyrannide, Cato sententia sua bellum civile repressit, furentium principum armis medius intervenit; aliis Pompejum, aliis Caesarem offendentibus, duos quasi simul lacessivit ([1]); altera quasi manu libertatem tuitus est, altera tyrannidem propulit; voce populum Romae ad libertatem excitavit ([2]), armis in Africa Caesaris dominationi restitit ([3]); ut non temere statuere videamur, quo ardore per totum illud bellum civile sub Pompeji vexillis pro patria, pro libertate pugnavit, eodem profecto, si Pompejus victor evasisset sibique orbis Romani dominationem vindicare studuisset, eum patriae prospecturum, ultima libertatis vestigia pressurum, civiumque animos novo ardore inflammaturum fuisse.

Cato, licet jam tum temporis, quum Uticam se reciperet, de morte sibi inferenda cogitasse videatur, noluit tamen e vita cedere, nisi omnes, quorum omnium oculi in hoc summo discrimine in unum Catonem erant conversi, tuti essent; auctor igitur fuit Uticensibus, ut continuo ad Caesarem legatos mitterent, pro se tamen nihil precibus exposcerent; victos enim supplices esse, atque eos qui deliquissent veniam petere debere; se vero per totam vitam non modo invictum a Caesare se praestitisse, sed etiam esse, quatenus vellet, victorem, Caesaremque virtute su-

---

([1]) Sen. Ep. 14. ([2]) Cf. Luc. Phars. II, 302 sqq. ([3]) Plut. p. 784 sqq.

perare et justitia. Quum igitur renunciaretur, Caesarem jam progredi cum toto exercitu, obseratis ceteris portis, ex una, quae ad mare spectabat, distribuit suis naves, et ut omnia ordine fierent curam gessit; filium non adhortatus est ut navem ascenderet, neque patris lateri adhaerentem amovendum censuit [1]. Circa vesperum jam vertit se ad balneum, lotusque una cum amicis et magistratibus Uticensibus sedens coenavit. Sub coenam inter pocula erudita fuit confabulatio mixta festivitate, ut una disputatio philosophica alteram quasi eliceret; devenit tandem sermo ad illud Stoicorum paradoxon: solum bonum virum esse liberum, omnes vero stultos servos. Ibi surgenti Demetrio Peripatetico acriter se objiciens Cato, contenta et aspera voce, disputationem in longum produxit, ac mirifice pugnavit, ut omnibus, eum statuisse vitae finem imponere atque ex praesentibus molestiis se expedire, jam tum manifestum fieret. Quum autem silentium et moestitia ex hac disputatione orta essent, Cato ut convivarum animos erigeret omnemque suspicionem averteret, de rebus praesentibus, de iis qui navigio per vasta maria, qui terra per deserta arida aufugerant, rursus loqui instituit, curasque movit, quasi metuens ne quid adversi iis accideret; vel sic tamen eandem suspicionem denuo movit, quum, absoluta post convivium solemni cum ami-

[1] Plut. p. 791 A, B, C, D.

cis ambulatione, praefectis excubiarum iis quae tempus poscebat mandatis, filium et amicorum quemque arctius quam assueverat amplexus est. Dein quum in cubiculo decubuerat, Platonis dialogum de animi immortalitate in manus sumsit ([1]), libroque pervoluto, supra caput suspexit, gladium quaerens; quem quum non invenisset servum vocavit rogavitque, numquis ensem abstulisset. Conticescente illo, repetiit librum, parvoque interposito intervallo, quasi non instaret neque urgeret sed fortuito requireret gladium, ut afferretur praecepit. Intercedente mora, quum nemo afferret gladium, perlecto libro, accivit denuo singulos servos, ac vocem magis intendens ensem repoposcit, unum adeo servorum pugno feriit ipseque manum suam cruentavit, fremens atque elata jam voce clamans, se nudum a filio et servis hosti prodi, donec tandem filius lacrymans cum amicis accurreret ruensque in patris amplexum atque lamentans eum obsecrare inciperet. Tum Cato exsurgens oculisque torvis eos adspiciens: „Quando tandem", inquit, „ego et ubi in apertam dementiam imprudens incidi? Cur nemo me admonet nec abducit ab iis rebus, quibus parum recte videar mihi consuluisse, sed consilia mea exsequi prohibeor armisque denudor. Quin simul, mi fili, constringis parentem manusque post tergum illigas, donec Caesar veniens omni me de-

([1]) Cf. Lact. Div. Inst. III, 18.

fendendi facultate destitutum inveniat? Neque enim in me ipsum requiro gladium, quum etiam spiritu brevi tempore cohibito aut capite parieti illiso exanimari liceat". Quae quum dixisset, ejulans adolescens omnesque reliqui e cubiculo excesserunt. Apollonidem vero et Demetrium, qui remanserant, lenius jam compellans: „Num vos quoque", inquit, „hujus aetatis virum vi retinere in vita statuistis? An vero huc venistis ut argumentis Catonem doceatis non indignum esse atque foedum, quum aliunde de salute desperet, ab hoste eam exspectare? Quin igitur hoc demonstratis nobis et persuadetis ut, placitis et doctrinis illis prioribus, in quibus totam vitam trivimus, explosis, per Caesarem sapientiores redditi, majores ei agamus gratias? Atqui nihil equidem de me ipso statui, sed oportet me postquam deliberavi etiam consilium exsequi posse. Consulam autem quodammodo vobiscum, quum ea praecepta in auxilium vocem, quibus vestra philosophia se uti profitetur. Abeatis igitur bono animo filiumque meum jubeatis, ea quae patri persuadere non valeat, vi ab eo extorquere nolle". His quae opponerent non habebant Demetrius et Apollonides; sed lacrymantes discesserunt. Puerulus deinde gladium ei attulit, quem manu prehendens distrinxit et consideravit. Ubi mucronem directum vidit atque aciem integram: Nunc, ait, mei juris sum; positoque ense, librum Platonis, quem totum bis eum pervolutasse ferunt,

ex integro relegit. Mox alto somno sopitus est, ut qui foris erant audirent stertentem. Circa noctis conticinium libertum suum, Cleanthem medicum, appellavit, et Butam, quo prae ceteris in rei publicae negotiis utebatur; hunc bis ad portum misit, visum an omnes ancoras solvissent. Medico autem manum, ex ictu quem servo inflixerat inflammatam, praebuit obligandam; unde omnes exhilarati eum a proposito destitisse suspicabantur. Reverso iterum Buta, altumque silentium in portu renuntiante, jussit januam claudere reposuitque se in lectulum, quasi reliquam noctis partem quieturus. Digresso Buta, strictum gladium pectori impressit; quum vero leviore ex ictu non continuo exanimatus, animam agens e cubili cum strepitu decideret, ministri, qui ad fores praesto erant, clamorem sustulerunt filiusque et amici confestim ejus cubiculum ingressi sunt. Medicus etiam accurrens, intestina, quae manserant illaesa, reposuit ipsumque vulnus consuit. Ut vero recreari coepit Cato et ad se redire, repulit medicum, intestina manibus laceravit, divulsoque vulnere exspiravit (1).

(1) Plut. in vita, p. 792 B — 794 A, et Appianus, de B. C. II, 98, 99, cujus narratio quoad summam rei cum Plutarchea consentit. Cff. Plut. ad princ. indoct. p. 781 D, Sen. Phil. Epp. 24, 70, 98, Sen. Pat. Suas. VI, Flor. Epit. R. R. IV, 2, Hirt. de Bell. Afric., c. 88, Liv. Epit. 114, Oros. Hist. VI, 16, Dio Cass. XLIII, c. 10 sq., Gell. N. A. XIII, 19, Aug. de Civ. Dei I, 23, 24, XIX, 4, qui

Sic igitur e vita abiit Cato, ut persuasum sibi habens, justam se moriendi caussam esse adeptum, ne patriae libertati esset superstes: „Cato ille", ait Seneca (1), „virtutum viva imago, incumbens gladio, simul de se ac de re publica cogitur palam facere"; et alio loco (2): „Catoni gladium assertorem libertatis extorque, magnam partem detraxeris gloriae". Ipse, dum vivebat, Caesare major (3), morte sua Caesaris victor exstitit, ut canit Horatius (4):

Et cuncta terrarum subacta,
Praeter atrocem animum Catonis.

Populus Uticensis una voce eum benefactorem, servatorem, solum liberum, solum invictum nuncupabat, idque, quum nunciaretur adesse Caesarem. Neque metus, neque assentatio victoris, neque mutua dissensio vel discordia, ab honoribus Catoni debitis tribuendis eos retinuit; sed corpus ejus magnifice exornatum et splendidis elatum exsequiis juxta mare funerarunt (5).

Catonis mortem summis laudibus uno quasi ore extulit antiquitas: „Tui quoque clarissimi excessus", ait Valerius Maximus (6), „Cato, Utica monumentum est, in qua ex fortissimis vulneribus tuis plus gloriae quam sanguinis ma-

---

hoc Catonis facinus maxime improbat eumque impatientia se peremisse censet. (1) De Tranq. Anim. c. 15. (2) Ep. 13. (3) Mart. Epigr. VI, 32. Cf. I, 8. (4) Od. II, 1, 23, 24. (5) Plut. p. 794 A, B. (6) III, 2, 14.

navit. Si quidem constantissime in gladium incumbendo, magnum hominibus documentum dedisti, quanto potior esse debeat probis dignitas sine vita, quam vita sine dignitate". Et Seneca (1): „Non video", inquit, „quid habeat in terris Jupiter pulchrius, si convertere animum velit, quam ut spectet Catonem, jam partibus non semel fractis stantem, nihilominus inter ruinas publicas rectum. Licet, inquit, omnia in unius ditionem concesserint, custodiantur legionibus terrae, classibus maria, Caesarianus portas miles obsideat; Cato, qua exeat, habet. Una manu latam libertati viam faciet: ferrum istud, etiam civili bello purum et innoxium, bonas tandem ac nobiles edet operas: libertatem, quam patriae non potuit, Catoni dabit". Ipse adeo Caesar, quem Anti-Catonem scripsisse novimus, quum Catonem manus sibi intulisse certior factus esset: „Invideo tibi", inquit, „istam mortem Cato; nam et tu gloriae meae invidisti" (2).

Recentiores vero prouti de morte voluntaria lenius vel severius judicarunt, ita quoque Catonis mortem vel opprobrio tegere vel laudibus efferre instituerunt.

Cau (3), ab Oosten de Bruyn (4), Reinhar-

---

(1) de Prov. c. 2. (2) Plut. p. 794 C. Cf. Val. Max. V, c. 1, § 10. (3) De his qui sibi necem consc. eorumq. poen. § 3, p. 4. (4) De crim. autoph. p. 24.

dus (1) et Nieuwenhuis (2) Catonis facinus turpe et humile fuisse censent, quum, non patriae, sed sui amore flagrans, rei publicae eo tempore defuerit, quo consiliis, opera, auctoritate, si se servasset, eam et augere potuisset et confirmare; eum vero gloriam maximam consecuturum fuisse, si, dominante etiam Caesare, rei publicae curandae sedulo operam navasset.

Voltarius in notissima tragoedia de morte Caesaris (3), licet de Catonis voluntaria nece lenius judicium tulerit, eam tamen, tanquam rei publicae Romanae inutilem, soli gloriae cupiditati tribuendam et improbandam censet:

Si Caton m'avait crû, plus juste en sa furie,
Sur César expirant il eût perdu la vie;
Mais il tourna sur soi ses innocentes mains;
Sa mort fut inutile au bonheur des humains.
Faisant tout pour la gloire, il ne fit rien pour Rome,
Et c'est la seule faute où tomba ce grand homme.

Montesquivius (4) etiam, ceterum rectius de Catone judicans, et Muellerus (5) ejus mortem rei publicae perniciei fuisse censent.

Moshemius (6), ut in vulgarem Stoicorum de morte voluntaria sententiam acriter invectus est,

---

(1) Disp. Phil. de mort. vol. in Opusc. Acad., ed. Poelitz., Vol. I, N° 2, p. 87. (2) De αὐτοχ. fac. ex rel. Christ. praec. et ind. jud. p. 21. (3) Act. II, sc. 4, Opp. Tom. VII, p. 374, ed. 1764. Cf. Tom. IV, c. 13, p. 91 sqq. (4) Grand.. et Déc. des Rom. ch. XII. (5) Alg. Gesch. Th. I, B. VI, Kap. 25, S. 297 folg. (6) Op. l. Tom. IV, p. 181 sq.

ita quoque hoc Catonis facinus maxime vituperandum esse duxit: tribuit enim illud tristi tantum et vanae Catonis opinioni, qua Romam partium studio jam distractam in perniciem ruere arbitrabatur, si unius dominationi subjiceretur; sibi vero ipsi turpe fore existimabat, dignitatis partem amittere qua adhuc gaudebat: censet igitur Catonem, quum vi et austeritate philosophiae Stoicae quam colebat hanc opinionem vincere debuisset, ipsa suiipsius nece probasse se ab hac opinione superatum fuisse.

Dumasius in primis improbat rationem qua Cato a servo gladium suum petiit ([1]): „Un pareil emportement ne marque certainement point un homme tranquille, convaincu de la légitimité du suicide, qui sent la foiblesse de l'argument de Socrate, et qui se tue sans faire violence à sa raison".

Crebillonus in poëmate *Triumviratu* inscripto dicit:

> l'Exemple de Caton serait honteux à suivre.
> Plus le malheur est grand, plus il est grand de vivre.

Laconica brevitate conspicuum est responsum Oldenbarneveldi in tragoedia ejus nominis a Mierrio (de le Mierre) confecta, qui in vincula conjectus, filio Catonis exemplum ut se-

---

([1]) Dumas, Traité du Suicide, p. 344, ubi etiam refert simile Fontenelli dictum: „Voilà un vilain coup de poing, qui gâte bien cette mort philosophique".

queretur monenti, Socratem mortem exspectasse respondet:

Caton se la donna, Socrate l'attendit.

Inter eos recentiores qui Catonem laudibus extulerunt primo loco memorandus est Rossavius (¹): „A ce nom saint et auguste tout ami de la vertu doit mettre le front dans la poussière et honorer en silence la mémoire du plus grand des hommes".

Luculenter de Catonis virtute ejusque morte disserit Merianus (²), ex cujus dictis praecipua hic adscribere non alienum mihi esse videtur: „Une vertu sévère, un esprit inflexible, un patriotisme rigide, une passion ardente pour la Liberté, une haine implacable pour tout ce qui sentoit la domination, toutes ces qualités, portées à l'excès, et jusques à l'enflure, par la Morale Stoïcienne, qui respiroit dans toute sa vie, constituoient le caractère de Caton. — Dans cette crise générale, que l'on se représente un homme tel que Caton, obstiné à défendre les lois et la constitution ancienne, luttant seul contre l'esprit du temps, contre le cours des événemens, et contre les arrêts du Ciel même. Le voilà dans une ville d'Afrique réduit aux plus tristes extrémités, et César victorieux s'approchant de cette ville, ce César qu'il regardoit comme l'ennemi de la patrie, dont le

(1) Opp. T. II, P. III, Ep. 22, p. 443 ed. Brux. 1804. (2) Op. l. p. 403 sqq.

nom lui étoit odieux, dont la vue alloit mortifier son orgueil, et dont la clémence eût été pour lui le supplice le plus affreux. Si l'on combine ce caractère avec ces circonstances, on croira aisément que tant de coups rassemblés sur sa tête, et surtout ce dernier coup, devoient foudroyer la constance de Caton; et pour en être surpris il faudroit bien peu connoître le coeur humain, ou supposer que Caton ne fut pas un homme. Il devoit même entrer en un désespoir d'autant plus violent qu'il avoit fait plus d'efforts pour résister jusques-là, et qu'il s'étoit roidi d'avantage contre la Fortune. — Je conviens que la mort de Caton à quelque chose d'éblouissant, cet air de noblesse et de grandeur dont nous avons parlé, et qui devoit imposer à une nation fière encore de la liberté qu'elle avoit perdue, et idolâtre de son ancienne indépendance. J'avouerai même que j'y trouve une sorte de beauté qui n'est point dans la mort de Socrate, une beauté poétique et théâtrale: elle résulte en partie de la vie et des moeurs de ce personnage extraordinaire, en partie des conjonctures dans lesquelles il mourut. — Tout se réunit pour faire de la mort de Caton le spectacle le plus sublime, le plus touchant, et le plus terrible. On ne peut lire le dernier acte de la Tragédie d'Addison sans se sentir élever l'âme et fendre le coeur. Jamais de plus grandes ni de plus nobles passions furent étalées sur une scène plus illustre. Rome, la Liberté, Caton,

César: quels noms! quels personnages! quels intérêts! quelle catastrophe! Et l'époque de cette catastrophe est la plus célèbre dont les annales du monde ayent conservé le souvenir, la plus propre à recevoir les embellissemens de la Poésie, et à figurer dans le genre sublime. C'est le jour où la terre attend l'arrêt de sa destinée: on saura si Rome est libre ou esclave; les yeux de l'univers sont tournés sur Utique. Ce n'est donc pas ici la mort d'un simple particulier; c'est la mort de la République, la Patrie expirante, et le dernier Romain à son dernier soupir".

Egregia item sunt quae protulit Montanus [1], cujus sententiam priori ideo praeferrem, quod magis quam Merianus Catonis mortem voluntariam e Stoicae philosophiae principiis dijudicaverit, quocirca et ejus sententiam prioribus addamus: „Quand je le (le jeune Caton) voy mourir et se deschirer les entrailles, je ne me puis contenter de croire simplement, qu'il eust lors son ame exempte totalement de trouble et d'effroy: je ne puis croire, qu'il se maintint seulement en cette desmarche, que les regles de la secte Stoïque luy ordon-

---

[1] Essais, Liv. II, ch. 11. Cf. c. 13 in fine, c. 28 et Lib. I, c. 36. De Catonis morte judicium etiam exstat in notissimo libro: la fausseté des vertus humaines, tom. II. Cff. Caton d'Utique, scène dramatique en vers par Mr. le Mercier, lue à la séance de l'Acad. Franc. du 7 Déc. 1809 et Addison, Tragedy of Cato, Francice Caton Tragédie, in primis Act. VI, p. 81 sqq., la Haye, 1745.

noient, rassise, sans esmotion et impassible: il y avoit, ce me semble, en la vertu de cet homme trop de gaillardise et de verdeur pour s'en arrester là. Je croy sans doubte qu'il sentit du plaisir et de la volupté en une si belle action, et qu'il s'y aggrea plus qu'en autre de celles de sa vie. — Je le croy si avant, que j'entre en doubte s'il eust voulu que l'occasion d'un si bel exploict luy fust ostée. Et si la bonté qui luy faisoit embrasser les commoditez publiques plus que les siennes, ne me tenoit en bride, je tomberois aisément en cette opinion, qu'il sçavoit bon gré à la fortune d'avoir mis sa vertu à une si belle espreuve, et d'avoir favorisé ce brigand à fouler aux pieds l'ancienne liberté de sa patrie. — La Philosophie m'a faict plaisir de juger, qu'une si belle action eust esté indecemment logée en toute autre vie qu'en celle de Caton: et qu'à la sienne seule il appartenoit de finir ainsi".

„Cato", ait Blumröder (1), „bleibt ein grosser Mann, obgleich er den Fehlgriff that, sich selbst zu tödten, aber er ist nicht deswegen gross, weil er sich tödtete und die Neuern haben Unrecht, ihn wegen einer Handlung zu preisen, welche die christliche Moral verdammen muss".

Licet Cato, quum manus sibi intulerit, ex religionis Christianae praeceptis Socrati longe postponendus videatur, non diffitendum tamen tem-

(1) Der Selbstm. psych. erkl. und mor. gew. Th. I, S. 80.

pora, quibus uterque vixit, longe diversa fuisse, videturque verisimile, si Cato Socratis loco fuisset, eum e Stoicae philosophiae praeceptis, potius veneni poculum exhausturum, quam voluntariam mortem, ut falsas Anyti et Melyti criminationes aufugeret, oppetiturum fuisse. „Juvenis ego Cassi, et in rebus tyro", inquit Brutus ([1]), Catonis gener, aliquot annis post soceri mortem, „nescio quomodo, rationem quandam secutus philosophiae, improbavi Catonem, quod necem sibi conscivisset: quasi nefas sit, neque ad virum pertineat succumbere fortunae, et non fortiter excipere, quidquid casus tulerit, sed id refugere. Nunc infortuniis in contrariam sententiam discessi. Et si deus id quod in manibus est non recte dispensaverit, non faciam ut aliam de integro spem et apparatum experiar, sed occumbam fortunam laudans. Idibus Martiis enim vitam meam patriae largiundo, vitam quam degi liberam et praeclaram reddidi". — „Caton", ut ait nobilissima mulier francica, Mad. de Staël Holstein ([2]), „se poignarda pour apprendre au monde qu'il existoit encore une âme libre sous l'empire de César. — Ce grand citoyen savoit qu'il s'immoloit non à lui-même, mais à la cause de la liberté; et selon les circonstances cette cause peut exiger d'attendre la mort comme Socrate, ou de se la donner comme Caton".

([1]) Plut. in vita p. 1002 E, F. ([2]) Opp. omn. Tom. III, p. 346 sq.

Non eo consilio hanc disquisitionem institui, ut Catonem tanquam summum virum, qui unquam Romae vixisset, proponerem, ipsius mortem voluntariam ex nostris principiis omni opprobrio solverem; sed unice ut ostenderem Catonem e Stoicae doctrinae principiis aliter agere non potuisse, vereque Ciceronem (1) de eo illud judicium tulisse: Ceteris, qui se in Africa Caesari tradidissent, forsitan vitio datum fuisse, si se interemissent, propterea quod lenior eorum vita et mores fuerant faciliores; Catoni vero, quum incredibilem natura tribuisset gravitatem, eamque ipse perpetua constantia roboravisset semperque in proposito susceptoque consilio permansisset, moriendum potius quam tyranni vultum adspiciendum fuisse. Catonis mortem voluntariam ab ipsius doctrina et indole, a moribus Romanorum, quibus vita, salus, omnia pro patria et libertate debebant esse vilia, sejungere, aeque absurdum est ac si quis cogitatione Catonis mortem ad nostra tempora transferret; quocirca ejus indolem, philosophiae praecepta, quibus imbutus fuit, severe tenens, ardens libertatis studium prae ceteris ejus dotibus extuli. Videtur enim mihi e colloquiis quae ante mortem cum amicis, cum filio habuit, apparere eum nobili Stoicorum paradoxo, „solum sapientem esse liberum, omnes stultos servos", ex quo et illud pendet,

(1) De Off. I, 31. Cf. Garve, Anm. zum ersten Buche von Cic. de Off., S. 160 folg., 5te Ausg., 1806.

„vim tyranni justam sapienti e vita recedendi esse caussam", ad mortis sibi inferendae propositum ductum esse persuasumque habuisse, sibi apertam esse optimam illam ad libertatem viam, adesse illud opportunum tempus e vita recedendi, quod si praetermisisset, ipsam virtutem et libertatem, quam per totam vitam summo ardore coluerat, incolumem servare non potuisset. Proponamus nobis igitur, quaeso, Catonem ultima pro libertate expertum, Pompejum devictum, Scipionem, ad quem Cato post Pompeji mortem aufugerat, Catonis consiliis spretis, Caesaris copiis profligatum, Catonem parva cum manu Uticae moenibus inclusum, Caesarem cum ingenti exercitu portis adstantem, nullam spem salutis, nullam libertatis, rem publicam jamjam unius dominationi subjectam, philosophiam Stoicam praecipientem mortem potius oppetendam esse quam tyranni vultum adspiciendum; his omnibus propositis, quodnam aliud Catoni, ut sibi suaeque philosophiae praeceptis constaret, remedium quam mors superfuisse videtur? Catonem non, ut Cicero [1] contendit, se caussam moriendi invenisse gavisum fuisse, sed, ubi jam sibi manus inferendi ceperat consilium, diu adhuc cogitasse num justa migrandi caussa sibi data esset, num sibi suaeque doctrinae consentienter honeste in vita manere potuisset, hoc inde efficio, quod, remotis ceteris, Demetrium

---

[1] Tusc. I, 30.

et Apollonium apud se retinuerit eosque lenius compellans, quaesiverit, num argumenta afferre possent quae ipsum a proposito suo abducerent, quodque non nisi semel iterumque evoluto Platonis Phaedone, cujus tamen argumenta ejus consilium mutare non potuisse eventus docuit, gladium pectori infixerit. Cato igitur in nobili illo certamine libertatis cum tyrannide, ultimus libertatis vindex, non tantum non vituperio, sed admiratione dignus est, videnturque recentiores, quum illius facinus vel ex suis rationibus vel e Christianae religionis principiis judicarent, personae ejus maculam adspersisse, quam abluere hac disquisitione conatus sum; quod si mihi contigerit, satis magnum fructum ex instituta Stoicae philosophiae expositione percepisse mihi videbor.

CAPUT VIII.

DOGMA DE MORTE VOLUNTARIA NON SOLIS STOICIS TRIBUENDUM.

„Invenies etiam", ait Seneca [1], „professos sapientiam, qui vim inferendam vitae suae negent, et nefas judicent ipsum interemptorem sui fieri". Et sane fatendum vulgarem opinionem apud antiquos, etsi praecipue apud Graecos suicidium legibus coërceretur, nec tanquam crimen nec tanquam facinus nefarium illud dissuasisse; caussas tamen justas requiri ut alicui e vita cedere liceat, plerorumque philosophorum sententia fuit. E Graecis adeo philosophis nullus quod sciam voluntariam mortem ut virtutem commendavit, permi-

[1] Ep. 70.

serunt eam tantum tanquam licitum miseriarum perfugium; neque videtur Graecorum indoles ejusmodi fuisse, ut sponte animo propenso ad mortem quasi vergerent ([1]). Romani demum, apud quos mors voluntaria magis frequentata fuit quam apud Graecos, eam saepius non tantum licitam, sed etiam laude dignam actionem censuerunt; historici adeo romani eam impense laudant, ut virtutis heroicae et magni liberique animi specimen, omniaque suicidii exempla, ut patriae et aetati suae decora, diligenter notant ([2]). In primis sub Caesaribus, grassante undique luxuria morumque corruptela, adaucta est suicidii insania metu majoris mali; ut adeo Tacitus ([3]) naturalem mortem L. Pisonis, Pontificis et Praefecti urbis, tanquam rarum exemplum referat. Ipsos tamen Romanos non omnia mortis voluntariae genera probasse constat, suspendium enim turpe, ferro vitam finire honestum ducebant ([4]), atque eos tantum laudabant quorum fortitudo in morte oppetenda conspicua vel qui vi tyrannidis ad hoc consilium adacti videbantur; unde etiam suicidii exempla pleraque apud Romanos eorum sunt qui post amissum

---

([1]) Cff. Stäudlinus, op. l. p. 45 sq. et Nieuwenhuis, op. l. p. 64. ([2]) Cff. Liv. Hist. I, 57—60, Val. Max. III, 2, 13, 14, Stäudlinus, op. l. p. 63 sqq. et 70 sqq. ([3]) Ann. VI, 10. ([4]) Cff. Juvencii Ann. ad Virg. Aen. XII, 603, Wesselingii Obs. II, 7, Festus voce *carnifex* quaeque ibi notavit Dacerius.

proelium in bellis civilibus manus sibi intulerunt ([1]).

Antiquorum insaniam egregie his versibus perstrinxit poëtria francica Hulieria (Des Houlières ([2]):

En grandeur de courage on ne se connoît guères
Quand on élève au rang des hommes généreux
Ces Grecs et ces Romains, dont la mort volontaire
A rendu les noms si fameux.
Qu'ont ils fait de si grand? Ils sortoient de la vie,
Lorsque de disgraces suivie
Elle n'avoit plus rien d'agréable pour eux.
Par une seule mort ils s'en épargnoient mille.
Qu'elle est douce à des coeurs lassés de soûpirer!
Il est plus grand, plus difficile
De souffrir le malheur, que de s'en délivrer.

Quum autem nec fines nec propositum hujus disquisitionis de ceteris philosophis singulatim agere mihi concedant, eorum sententias hoc capite leviter tantum perlustrabo, eo quidem proposito ut appareat, totam dissensionem de concedenda vel coërcenda morte voluntaria inter praecipuos philosophos, eo redire, ut pro doctrinae suae placitis justas e vita recedendi caussas vel arctius restringerent vel latius proferrent ([3]), atque omnes fere

([1]) Cf. Voltarius, Opp. omn. Tom. IV, c. 13, p. 90 sq. ed. 1764. ([2]) Réfl. div. Tom. I, St. X, p. 87, ed. d'Amst. 1709. Cf. similis sententia francicae item feminae Le Prince de Beaumont, Educ. compl. Tom. I, p. 123, Lugd. Bat. 1758. ([3]) Cff. Grotius, Acta Apost. c. 16, comm. 27, Puffend. de J. N. et G. II, c. 4, § 19.

in eo convenire, vitam numquam temere esse projiciendam; Stoicam igitur philosophiam specie magis quam revera a vulgari philosophorum hujus aetatis opinione recessisse iisque adeo doctrinis esse accensendam quae justas e vita recedendi caussas arctissime circumscriberent.

PYTHAGOREI.

Pythagoreis cum Academicis commune fuit hoc placitum, non licere injussu Dei manus violentas sibi inferre (¹): „Vetat Pythagoras", ut ait Cicero (²), „injussu imperatoris, id est, Dei, de praesidio et statione vitae decedere". Licet Pythagorei ex vindicta divina animum corpore in hac vita constrictum teneri, eos vero qui ultro e vita cederent majoribus etiam malis affectum iri censerent, unam tamen exceptionem senectutem admisisse videntur: Εὐξίθεος ὁ Πυθαγορικός, ὥς φησι Κλέαρχος ὁ Περιπατητικὸς ἐν δευτέρῳ βίων, ἔλεγεν, ἐνδέδεσθαι τῷ σώματι καὶ τῷ δεῦρο βίῳ τὰς ἁπάντων ψυχὰς τιμωρίας χάριν, καὶ διείπασθαι τὸν θεόν, ὡς,

(¹) Cf. Hierocles in Aur. Carm., p. 210 ed. Lond. 1742: Ὁ θεῖος νόμος ἐξάγειν ἑαυτὸν πειρᾶσθαι μὴ συγχωρῶν, ἀλλὰ περιμένειν ἕως ἂν ὁ θεὸς αὐτὸς ἀπολύσῃ ἡμᾶς. (²) De Senect. c. 20. Cff. de hoc dogmate Cic. Tusc. I, 30, de Rep. VI, 15, Apulejus, de Phil., Tom. III, p. 94 ed. Bas. 1560, Macrob. in somn. Scip. I, c. 13, Holstenius in vita Porph. c. 9 (Fabr. B. Gr. IV, p. 260) et V.V. D.D. ad Hieroclem in Aur. carm., p. 260 ed. de Rhoer.

εἰ μὴ μενοῦσιν ἐπὶ τούτοις ἕως ἂν ἑκὼν αὐτοὺς λύσῃ, πλέοσι καὶ μείζοσιν ἐμπεσοῦνται τότε λύμαις. Διὸ πάντας εὐλαβουμένους τὴν τῶν κυρίων ἀνάςασιν ([1]), φοβεῖσθαι τοῦ ζῆν ἑκόντας ἐκβῆναι, μόνον τε τὸν ἐν τῷ γήρᾳ θάνατον ἀσπασίως προΐςασθαι ([2]), πεπεισμένους. τὴν ἀπόλυσιν τῆς ψυχῆς μετὰ τῆς τῶν κυρίων γίγνεσθαι γνώμης ([3]). De ipso Pythagora, quem ad summam senectutem vixisse novimus, nonnulli tradunt, incendio omnibus ejus familiaribus interemtis, ipsum ex eo elapsum prae moerore animi semetipsum e vivis sustulisse ([4]).

Philolaus, Pythagorae sententiam secutus, ὥσπερ ἐν φρουρᾷ πάντα ὑπὸ τοῦ θεοῦ περιειλῆφθαι, sibi igitur manus inferre minime licere, censuit ([5]). Quam sententiam Philolaum Pythagoreorum more obscurius significasse et comparatione vitae cum itinere ad templum, hoc est vitam coelestem, indicasse narrat Olympiodorus ([6]), dicens: Ὁ δὲ

([1]) Casaub. male legit ἀνάτασιν. ([2]) Casaub. προσίεσθαι. ([3]) Athen. Deipnos. p. 157 C, D. ([4]) Porphyrius, in vita Pythag. p. 52 ed. Amst. 1707. Fuit inter veteres summus de ejus mortis genere dissensus, de quo legatur Diogenes Laërtius, VIII, § 39, 40. Cff. Jamblichus in vita c. 35, 36, Menagius ad D. L. l.l. et Bruckerus, Hist. Phil. Crit. Tom. I, P. II, L. II, c. X, § 13, p. 1021 sqq. ([5]) Athenag. Legat. pro Christ. c. 6, Plato in Phaed. p. 377 B, C ed. Fic. Cff. Boeckh, Philolaos des Pythagoreers Lehren nebst den Bruchstücken seines Werkes, S. 151, 178 ff., Berl. 1819, Welcker, Rhein. Mus. für Philol. Jahrg. I, 1833, S. 616 f. ([6]) In schol. ad Plat. Phaed.

Φιλόλαος Πυθαγόρειος ἦν. ἔθος δὲ ἦν τοῖς Πυθαγορείοις δι᾽ αἰνιγμάτων λέγειν. τούτων γὰρ ἡ σιωπή· ἐνδεικνυμένων διὰ τῆς σιωπῆς τὸ ἀπόῤῥητον τοῦ θεοῦ, ὃν μιμεῖσθαι δεῖ τὸν φιλόσοφον. ἦν δὲ Φιλόλαος ὁ εἰπών ([1]), ὅτι οὐ δεῖ ἐξάγειν ἑαυτὸν δι᾽ αἰνιγμάτων· ἔλεγε γὰρ ἀπιόντι εἰς ἱερόν, οὐ δεῖ ἐπιςρέφεσθαι καὶ ἐν ὁδῷ μὴ σχίζειν ξύλα. ἐδήλου δὲ τοῦτο, (τουτέςι ([2])) μὴ σχίζε καὶ τέμνε βίον· ὁδὸς γὰρ ὁ βίος. τὸ δὲ μελετᾶν θάνατον ἐδήλου διὰ τὸ ἀπιόντα εἰς ἱερὸν μὴ ἐπιςρέφεσθαι. ἱερὸν γὰρ ὁ ἐκεῖσε βίος· πατὴρ γὰρ ἡμῶν καὶ πατρὶς ἐκεῖ. ἔλεγεν οὖν ὅτι, καθαρτικῶς ζῶν μὴ ἐπιςρέφου, τουτέςι, μὴ διάκοπτε τὴν καθαρτικὴν ζωήν. ἔλεγε δὲ καὶ ἄλλως, μὴ ἐξάγειν ἑαυτόν· διότι Πυθαγόρειον παράγγελμα μὴ ἀποτιθέναι, ἀλλὰ συνεπιτιθέναι βάρη· τουτέςι συμπράττειν τῇ ζωῇ, οὐκ ἀντιπράττειν δέ.

Q. Sextius, cujus meminerunt plerique Stoici, in primis Seneca ([3]), a quo, ut distinguatur a filio, vocatur Q. Sextius pater, inter Pythagoreos vulgo numeratur, quamquam sententiis et decretis ad Stoicam philosophiam propius accesserit ([4]). Senecae verba digna sunt, quae hic describantur, quippe quae eximiam ejus laudem

---

Ms. I. p. 4 et 5. Cf. Wytt. in Annot. ad Plat. Phaed. p. 130 sq. ([1]) Articulum transponendum duxi; in Ms. legitur ὁ Φιλόλαος εἰπών. ([2]) Hanc vocem, ortam fortassis e praecedenti τοῦτο, delendam putem. ([3]) Epp. 64, 108. ([4]) Cf. Lips. Man. ad Stoic. Phil. I, diss. 6.

contineant ([1]): „Varius nobis sermo fuit, ut in convivio, nullam rem ad exitum adducens, sed aliunde alio transsiliens; lectus est deinde liber ([2]) Q. Sextii patris, magni, si quid mihi credis, viri, et, licet negent, Stoici. Quantum in illo, Dii boni, vigoris est, quantum animi? hoc non in omnibus philosophis invenies. — Quum legeris Sextium, dices: Vivit, viget, liber est, supra hominem est, dimittit me plenum ingentis fiduciae. In quacunque positione mentis sim, quum lego hunc (fatebor tibi) libet omnes casus provocare, libet exclamare: Quid cessas fortuna? congredere. Paratum vides. Illius animum induo qui quaerit, ubi se experiatur, ubi virtutem suam ostendat. — Libet aliquid habere quod vincam, cujus patientia exercear. Nam hoc quoque egregium Sextius habet, quod et ostendet tibi beatae vitae magnitudinem, et desperationem ejus non faciet". Plutarchus ([3]) narrat eum a publicis muneribus ad philosophiam se traduxisse, in qua quum difficulter et moleste doctrinam sibi comparare studeret, parum abfuit, quin e navi in mare se praecipitasset. Sententiae ejus, quae huc pertinent,

---

([1]) Ep. 64. ([2]) Ex hoc libro exstant quaedam fragmenta, nondum collecta, nec separatim Graece edita, quorum tamen habemus latinam versionem Ruffini, quam operi suo inseruit Th. Galeus, Opusc. Myth., Phys. et Eth. p. 645 sqq. Cf. operis Praef. N° XI. Ejus sententias quasdam refert Sen. Ep. 59, de Ira II, 36, III, 36 et passim alibi. ([3]) De prof. in virt. sent. p. 77 D. E.

maxime hae feruntur ([1]): Mortis quidem ipse tibi caussa non fias. Si quis autem vult te corpore exuere, ne indigneris. Sapientem si quis de corpore extrudat injuste, iniquitate sua beneficium ei praestat; absolvitur enim tanquam e vinculis. Hominem metus mortis contristat pro imperitia animae. Quem Deus non emittit e corpore, ne graviter ferat.

ACADEMICI.

Socrates, quatenus sententia ejus de morte contemnenda et vitae praeferenda miserae e Xenophontis ([2]) et Platonis ([3]) scriptis colligi possit, argumentis suis partim e divina providentia partim ex natura humana ductis, mortem voluntariam impugnat duabus rationibus, quarum altera intricatior, homines in corpore, velut carcere, inclusos esse, altera ad vulgarem hominum captum magis accommodata, homines divini numinis esse ministros et servos, a quo ministerio non prius discedere liceat quam ubi Deus necessitatem aliquam imposuerit ([4]); de qua Socratis sententia audiamus Olympiodorum ([4]): Εἰπὼν ὁ Σωκράτης, ὅτι εἰ φιλοσοφεῖ ὁ

([1]) Th. Galeus, p. 653. ([2]) Apol. Socr. in primis § 9. ([3]) Apol. Socr. p. 368 F ed. Fic. Cf. Stob. Flor. Tit. 120, 29. ([5]) Plat. in Phaed. p. 377 D, E. Cff. Moses Mendeli filius, in primis Coll. I, p. 16 sqq., Mahnius, D. Wytt. quinque lect., V, p. 78 sq., Stäudlinus, op. l. p. 26 sqq. ([4]) In Schol. ad Plat. Phaed. Cod. Ms. Voss. p. 1.

Εὔηνος ἐθελήσει ἀποθνήσκειν, ἵνα μὴ δόξῃ διὰ τοῦτο παρεγγυᾷν ἡμῖν τὸν ἑκούσιον θάνατον ([1]), φησὶν ὅτι, οὐ μέντοι ἴσως βιάσεται ἑαυτόν. καὶ γὰρ ἀνόσιον τὸ ἐξαγαγεῖν ἑαυτόν· καὶ τοῦτο ἡ μὲν λέξις δείκνυσι διὰ δύο ἐπιχειρημάτων ([2]). Porro quum Socrates philosophum, licet manus sibi inferre recuset, tamen optare morientem sequi censeret ([3]), Cebes con-

---

([1]) In Ms. legitur τῷ ἑκουσίῳ θανάτῳ. ([2]) Quominus expositionem utriusque horum argumentorum, quorum alterum Olympiodorus perperam, ut videtur, μυθικὸν καὶ Ὀρφικὸν vocat, alterum διαλεκτικὸν καὶ φιλόσοφον, ex eodem Manuscripto subjungamus, fecit Wytt. in Annott. ad Plat. Phaed. p. 134 sqq., qui Olympiodorum in eo errare docet, quod, omnia fere ab humana ratione ad divinam religionem referens, Socratem verbis ἐν ἀποῤῥήτοις, quae de interiore vel esoterica doctrina, sive Pythagoreorum sive Socratis, accipienda sint, fabulas Bacchicas, in Orphica doctrina celebratas, significasse contenderit. Quod nos in medio relinquimus; de re autem cff. Boeckhius, op. I. p. 180 sqq. et Stallbaumius in Plat. Phaed. p. 54. Vulgare tamen Socratis argumentum, a Wyttenbachio non memoratum, ex eodem Olympiodori loco, p. 2. Ms. Voss., hic subjungimus: Τὸ δὲ διαλεκτικὸν καὶ φιλόσοφον τοιοῦτόν ἐςιν. ὅτι (εἰ in Marg. adscriptum) οἱ θεοὶ ἡμῶν εἰσὶν ἐπιμεληταί, καὶ κτήματα ἐκείνων ἐσμὲν οὐ δεῖ ἐξάγειν ἑαυτούς, ἀλλ' ἐπιτρέπειν ἐκείνοις. εἰ μὲν γὰρ θάτερον ἦν τούτων, καὶ εἰ κτήματα ἦμεν τῶν θεῶν, οὐ μὴν ἐπεμελοῦντο ἡμῶν, ἢ ἀνάπαλιν, χώραν ὁπωςοῦν εἶχεν εὔλογον τὸ ἐξάγειν ἡμᾶς ἑαυτούς· νῦν δ' ἄμφω, οὐ δεῖ λύειν τὸν δεσμόν. ([3]) Cf. Plato in Axiocho, p. 729 E ed. Fic., apud Stob. in Flor. Tit. 121, 38 ed. Gaisf.

tinuo ei haec dubia movet: Πῶς τοῦτο λέγεις, ὦ Σώκρατες, τὸ μὴ θεμιτὸν εἶναι ἑαυτὸν βιάζεσθαι, ἐθέλειν δ' ἂν τῷ ἀποθνήσκοντι τὸν φιλόσοφον ἕπεσθαι; Non intelligebat scilicet duplicem mortem a Socrate significari, alteram naturalem, φυσικὸν θάνατον, dissolutionem animi a corpore, alteram philosophicam, προαιρετικὸν θάνχτον, mortis meditationem vel ipsius animi ad mortem praeparationem. Hujus Socratis cum Cebete disputationis caussam et rationem Olympiodorus ([1]) copiose ita interpretatur: Παρὰ Κέβητι μὲν ἄπορον ἦν πῶς ἀθεμιτὸν τὸ ἐξάγειν ἑαυτόν. δεῖ δὲ τὸν φιλόσοφον ἐθέλειν ἀποθνήσκειν. εἰ γὰρ συμβάλλεται αὐτῷ ὁ θάνατος, οὐ περιμενεῖ ἄλλον, ἀλλ' αὐτὸς ἑαυτὸν εὐεργετήσει. παρὰ δὲ Σωκράτει οὐκ ἦν τοῦτο ἄπορον, περὶ ἄλλου γὰρ καὶ ἄλλου θανάτου ἔλεγε. πρόδηλον δὲ τοῦτο ἐκ τῶν ἐγκυκλίων ἐξηγήσεων, ὅτι τὸ μὲν περὶ τοῦ φυσικοῦ θανάτου λέγεται ὅτι οὐ δεῖ ἐξάγειν ἑαυτόν, τὸ δὲ περὶ τοῦ προαιρετικοῦ τὸ ἐθέλειν ἀποθνήσκειν. — Δύο ὄντων προβλημάτων τοῦ τε μὴ δεῖν ([2]) ἐξαγεῖν ἑαυτόν, καὶ τοῦ ἐθέλειν ἀποθνήσκειν, ὁ μὲν Σωκράτης προτάττει τὸ ἐθέλειν ([3]) ἀποθνήσκειν τοῦ μὴ ἐξάγειν ἑαυτόν, ὁ δὲ Κέβης τὸ ἀνάπαλιν τὸ μὴ θεμιτὸν εἶναι ἀποθνήσκειν, καὶ (οὗτος ([4])) ἐπάγει τὸ ἐθέλειν ἀπο-

([1]) l.l. p. 4. ([2]) Ms. δεῖ. ([3]) Ms. θέλειν. ([4]) Quam vocem delendam putem. Saepius, ut hoc etiam loco, ut sensui faverem Manuscripti interpunctionem mutandam duxi, quod obiter monuisse sufficiet.

θνήσκειν. καὶ ὁ Σωκράτης ἐν τῇ πρὸς τοῦτον ἀπολογίᾳ οὐχ ἑαυτῷ κατακολουθεῖ, ἀλλὰ τῇ τάξει τοῦ Κέβητος. καὶ ὁ Κέβης πρῶτον ἠρώτησε πρὸς ἐκεῖνο καὶ αὐτὸς ἀποκρίνεται. τούτων οὖν τὴν αἰτίαν δεῖ εἰπεῖν. ὁ μὲν οὖν Σωκράτης προέταξε τὸ ἐθέλειν ἀποθνήσκειν τοῦ μὴ ἐξάγειν ἑαυτόν. εἰκότως, ἐπειδὴ τοῦτο προηγουμένον ἦν αὐτῷ· λέγω δὴ περὶ τοῦ ἐθέλειν ἀποθνήσκειν· καὶ κατὰ παρέκβασιν λοιπὸν εἶπε, καὶ οὐ δεῖ ἐξάγειν ἑαυτόν. ὁ δὲ Κέβης ᾔδει μὲν ἐκ τῶν φιλοσόφων συνουσιῶν, ὅτι οὐ δεῖ ἐξάγειν ἑαυτόν, ἠπόρει δὲ πῶς ἐθελήσει ἀποθνήσκειν ὁ φιλόσοφος· διὸ ὃ ἠπόρει ἔσχατον εἶπεν. ὁ δὲ Σωκράτης ἄρχεται ἀπὸ τοῦ μὴ ἐξάγειν ἑαυτόν, ὡς καθολικωτέρου καὶ κοινοτέρου. τοῦτο γὰρ πᾶσιν ἐπιτρέπεται οὐ μόνον φιλοσόφοις, ἀλλὰ καὶ πάντι ἀνθρώπῳ, τὸ μὴ ἐξάγειν ἑαυτόν· τὸ δὲ ἐθέλειν ἀποθνήσκειν μόνοις φιλοσόφοις ἐπιτρέπεται. Διὸ τὸ μερικώτερον ὕστερον ἔταξεν.

Socrates igitur, vel potius Plato sub Socratis persona, non temere ex antiquis, qui mortem voluntariam improbarunt, princeps fuisse censetur (1); neque tamen ipse Plato mortem voluntariam sine ulla exceptione damnavit. In ipso adeo Phaedone, quum haesitanter suiipsius necem dissuadeat, quasi eam aliquando probaret speciem saltem assumit; in opere vero de Legibus (2) a legis poena diserte eos excipit qui judicio civita-

(1) Cf. Lact. Div. Inst. III, 18. (2) Lib. IX, p. 660 B, ed. Fic. Cf. Raumburger, diat. mor. de mort. vol. th. 32.

tis damnati, *πόλεως ταξάσης δίκην*, qui fortunae casu graves dolores afferente et inevitabili, *περιοδύνῳ ἀφύκτῳ προσπεσούσῃ τύχῃ*, coacti, vel qui pudore aliquo extremo compulsi, *αἰσχύνης τινὸς ἀπόρου καὶ ἀβίου μεταλαχόντες*, manus sibi intulerint; quocirca etiam Olympiodorus, Platonem reprehendens quod in Phaedone unice ea argumenta attulerit quae mortem voluntariam dissuadeant, suam vero sententiam non confirmare studuerit, allatis et dijudicatis etiam dubiis quae contraria ex parte moveri possent, haec deinceps ei objicit (1): *Τί οὖν οὐ δεῖ συνηγορῆσαι καὶ τῷ ἀντικειμένῳ καὶ δεῖξαι ὅτι δεῖ ἐξάγειν ἑαυτούς; Πρῶτον μὲν ὅτι ἐν αὐτῇ τῇ νῦν προκειμένῃ λέξει ἐν ᾗ κατασκευάζει ὁ Πλάτων ὅτι οὐ δεῖ ἐξάγειν ἑαυτούς, ἔμφασιν δίδωσι καὶ τοῦ ἀντικειμένου* (2)· *πρῶτον μὲν λέγων, οὐ μέντοι ἴσως βιάσεται ἑαυτόν, τὸ γὰρ ἴσως* (3) *ὑπόνοιαν δίδωσιν ὅτι ποτὲ καὶ δεῖ ἐξάγειν ἑαυτούς· καὶ πάλιν ἐφεξῆς φησίν, ὅτι οὐ δεῖ ἐξάγειν ἑαυτούς, εἰ μὴ μεγάλην ὁ θεὸς ἀνάγκην ἐπιπέμψοι, οἵαν τὴν νῦν παροῦσαν. Δεύτερον ἐπιχείρημα, εἰ αὐτὸς ὁ Πλάτων φησίν, ὅτι ἐξάγειν ἑαυτὸν ἐπιτρέποι* (4) *καὶ τῷ σπουδαίῳ καὶ τῷ μέσῳ καὶ τῷ πόλλῳ καὶ φαύλῳ ἀνθρώπῳ· τῷ σπουδαίῳ ὡς ἐνταῦθα, τῷ μέσῳ ὡς ἐν τῇ πολιτείᾳ, λέγων ὅτι δεῖ τὸν νόσῳ*

---

(1) l.l. p. 2 et 3. (2) Verba *πρῶτον μὲν κ. τ. λ.* usque ad *ἀντικειμένου* desiderari videntur in Ms. Par. (3) In Ms. Par. *ἴσως* om. (4) Ms. Par. *ἐπιτρέπει*.

ἀνιάτῳ καὶ μακρᾷ κατεχόμενον ἐξάγειν ἑαυτὸν ὡς ἀχρεῖον ([1]) ὄντα τῇ πόλει, διότι βούλεται ὁ Πλάτων τοὺς ἑαυτοῦ πολίτας τῇ πόλει χρησίμους εἶναι καὶ οὐχ ἑαυτοῖς ([2])· ἐν δὲ τοῖς νόμοις τῷ πολλῷ ἀνθρώπῳ, λέγων, ὅτι δεῖ τὸν ἀνιάτοις πάθεσι κατεχόμενον, οἷον ἔρωτι μητρὸς ἢ ἱεροσυλίᾳ ([3]) ἢ τῶν τοιούτων τινί, καὶ μὴ δυνάμενον κρατεῖν ἑαυτοῦ, ἐξάγειν ἑαυτόν. Τρίτον ἐπιχείρημα, εἰ Πλωτίνῳ γέγραπται περὶ εὐλόγου ἐξαγωγῆς, δεῖ ἄρα ποτὲ ἐξάγειν ἑαυτόν. Τέταρτον, εἰ οἱ Στωϊκοὶ κ. τ. λ. Quod quartum argumentum cum ipsa Olympiodori objectione vel potius conclusione jam supra retulimus ([4]).

Apparet nimirum ex his, ambiguam et obscuram fuisse Platonis in Phaedone sententiam, neque tantam vim ejus argumentorum, quae Catoni, Stoicis praeceptis imbuto, perfecto adeo, ut ipsi fatentur, Stoico, persuaderent, ut a proposito desisteret. Quo magis hujus propositionis veritas eluceat, hoc item afferre mihi liceat, quod Cleombrotus Ambraciota, lecto hoc dialogo, ut animi immortalitate, de qua egregie et in sublimem modum disputantem Socratem legerat, perfrueretur, praecipitem se e muro in mare abjecisse narratur; ut ex hoc Callimachi ([5]) epigrammate apparet:

([1]) Ms. Par. ἄχρηστον. ([2]) Videtur Olympiodorus respicere Platonis locum de Rep. III, p. 440 D — p. 441 C ed. Fic. ([3]) Ms. Par. ἱεροσυλίας. ([4]) p. 232 sqq. ([5]) Epigr. 28, Anth. Gr. Lib. III, Tit. 32, 46 ed. H. de Bosch,

— Ἥλιε χαῖρε, Κλεόμβροτος ὠ 'μβρακιώτης
Ἥλατ' ἀφ' ὑψηλοῦ τείχεος εἰς Ἀΐδην,
Ἄξιον οὔτι παθὼν θανάτου κακόν, ἀλλὰ Πλάτωνος
Ἓν τὸ περὶ ψυχῆς γράμμ' ἀναλεξάμενος (1).

Contra Libanius, nobilis orator Antiochensis, eodem hoc dialogo a consilio se interficiendi deductus esse fertur (2).

Speusippus, Platonis discipulus et in Academia successor (3), nec magistri sententiae, nec iis quae ipse professus erat satis stetisse videtur; quum enim Diogenes Cynicus eum paralysi laborantem adhortatus esset ut e vita cederet: Non vivimus, inquit, cruribus, sed mente (4). Postea vero, ut quidem refert Diogenes Laërtius (5), aegritudine et senectute confectus, mortem sibi conscivit.

Carneades, ut refert Laërtius (6), vitae finem gravius aversatus, quum audivisset Antipatrum (7) veneno hausto defunctum esse, ipse inci-

---

Tom. II, p. 310; allusit eo Ovidius in Ibide v. 495 sq. Cff. Cic. Tusc. I, 34, Lact. Div. Inst. III, 18, August. de Civ. Dei I, 22. (1) Valckenaerius, in Scholis Mss. in Epist. ad Hebr. 10, 7, conjecit ἐνελιξάμενος. (2) De vita sua, opp. Tom. II, p. 45 D. (3) Fabr. B. Gr. II, p. 65 sq. (4) Stob. Flor. Tit. 119, 17 ed. Gaisf. (5) IV, § 3. Tertull. Apol. c. 46 eum in adulterio periisse narrat. (6) IV, § 64 sq. (7) Aldobrandinus et Menagius, qui hunc Antipatrum fuisse censent Tyrium Stoicum, primum manifesto errore hunc, Catonis Minoris ut notum magistrum et amicum, qui igitur post Carneadis obitum demum floruit, confundunt cum Sidonio poëta et ut videtur etiam

tatus ad mortem audacius procurrit, ut ex epigrammate, quod Laërtius logaoedico et archebuleo metro in eum composuit, optime discimus:

Τί με Καρνεάδην, τί με, μοῦσα, θέλεις ἐλέγχειν;

---

cum Tarsensi, Diogenis Babylonii discipulo; deinde illud minime tenuerunt, Plinium, de H. N. VII, 52 et Valerium Maximum, de Mirac. I, 8, communi consensu de Antipatro Sidonio narrare, eum singulis vitae annis, uno tantum die natali, febri correptum, ea, quum ad ultimam aetatem pervenisset, consumtum esse. Relinquitur igitur solus Antipater Tarsensis Stoicus, qui Carneadem, colloquendo contra eum disputare recusans, scriptis acriter impugnavit; de quo cons. Cic. Acad. II, 6, de Div. I, 20, II, 15, de Off. III, 12, 23, Fabr. B. Gr. II, p. 387 sq. et Lynd. in Pan. p. 33 sqq., qui, p. 35, „ubi simpliciter Antipater citatur", inquit, „hic Tarsensis intelligendus est"; cujusque morientis magnum et constantem animum, laudantis divinam providentiam ob beneficia ipsi tributa, memorat Plut. de Anim. Tranq., p. 469 D et in vita Marii, p. 433 A. Stoicum saltem fuisse hunc, de quo Laërtius locutus est, Antipatrum testatur Stobaeus in Flor. Tit. 119, 19 ed. Gaisf.: Καρνεάδης Ἀντιπάτρου αὐτὸν ἐξαγαγόντος γέρων ὢν δύο κύλικας ἐκέρασε, τὴν μὲν κωνείου, τὴν δὲ οἰνομέλιτος. Καὶ τὴν τοῦ κωνείου τοῖς λοιποῖς Στωϊκοῖς εἰπὼν προπίνειν, τὴν τοῦ οἰνομέλιτος ἐξέπιε, διαπαίζων τὴν σπουδὴν τῶν ἑκουσίως ἐκλειπόντων τὸν βίον. Mirum fortassis videbitur, si de Tarsensi accipienda sit Laërtii traditio, Plutarchum utroque loco de eo moriente locutum, de veneno sumto ne verbo quidem monuisse; sed contra magis etiam mirarer Laërtium et Stobaeum, si alium Antipatrum Stoicum, quam notissimum Carneadis adversarium, indicare voluissent, tam indefinite de eo locuturos fuisse.

Ἀμαθὴς ὃς οὔ τι κάτοιδεν, ὅπως δεδοίκει
Τὸ θανεῖν· ὅτε καὶ φθισικήν ποτ᾽ ἔχων κακίστην
Νόσον, οὐκ ἔθελε λύσιν ἰσχέμεν· ἀλλ᾽ ἀκούσας
Ὅτι φάρμακον Ἀντίπατρος πιὼν ἀπέσβη,
Δότε τοίνυν, ἔφησε, τὶ κἀμοὶ πιεῖν· τί μέντοι; τί;
Δότ᾽ οἰνόμελι· σφόδρα τ᾽ εἶχε πρόχειρα ταυτί·
Φύσις ἡ συνέχουσά με, καὶ διαλύσεται δή.

Clitomachus, **Carneadis** discipulus, quum in morbum incidisset et veterno laboraret, postea vero convaluisset: Nullo modo, inquit, vitae desiderium me decipiet, manusque sibi conscivit (1).

Neo-Platonici.

Plotinus, **Platonis** sententiam secutus, eo quemque eniti oportere censet, ut non sit corpus, sed animus in corpore, atque ita in corpore habitet, ut quam proxime ad illam habitandi rationem accedat qua mundi anima totum habitat corpus (2). Contemnamus scilicet mortem, superiora intelligamus, intellecta sequamur (3). Nemo per vim animum e corpore extrudat, ne forte exeat, in locum similem migraturus, nonnihil corporei deferens, quo per similia emigrabit; sed

---

(1) Stob. in Flor. Tit. 7, 55 ed. Gaisf.. Gesnerus in edit. Wech. hoc Stobaei fragmentum bis refert, p. 170 de Clitomacho, p. 879 de Democrito; in ed. Bas. vero, p. 90, semel tantum et quidem de Clitomacho. (2) Ennead. II, Lib. IX, πρὸς τοὺς γνωστικούς, c. 18, p. 217 E fol. ed. Fic., Bas. 1580. (3) p. 218 B.

exspectare unusquisque debet, quoad corpus totum ab ipso animo deficiat, animusque transmigratione non indigeat, sed jam prorsus extra corpus sit; alioquin enim corpus non dimitteret animum, sed ipsi animo corpus destitueremus ([1]). Quum igitur, quamdiu pravi sumus et perfectionis modum non explevimus, nefas sit nos cum superis affinitate conjungi, nobis numquam perturbationis caussa fiamus et caveamus quam maxime ne animus ulla perturbatione a corpore disjungatur, fortunae ictus virtute propulsemus, ita ut animi magnitudine et robore alii leviores fiant, alii adeo minime nos tangant ([2]); quam suam sententiam similitudine cum domo ejusque incolis ita illustrat ([3]): Τοῦτο δὲ ὅμοιον ἂν εἴη, ὥσπερ ἂν εἰ δύο οἶκον καλὸν τὸν αὐτὸν οἰκούντων, τοῦ μὲν ψέγοντος τὴν κατασκευὴν καὶ τὸν ποιήσαντα, καὶ μένοντος οὐχ ἧττον ἐν αὐτῷ. τοῦ δέ μὴ ψέγοντος, ἀλλὰ τὸν ποιησαντα τεχνικώτατα πεποιηκέναι λέγοντος· τὸν δὲ χρόνον ἀναμένοντος ἕως ἂν ἥκῃ ἐν ᾧ ἀπαλλάξεται, οὗ μηκέτι οἴκου δεήσοιτο· ὁ δὲ σοφώτερος εἶναι οἴοιτο, καὶ ἑτοιμότερος ἐξελθεῖν, ὅτι οἶδε λέγειν ἐκ λίθων ἀψύχων τοὺς τοίχους καὶ ξύλων συνεστάναι, καὶ πολλοῦ δεῖν τῆς ἀληθινῆς οἰκήσεως· ἀγνοῶν, ὅτι τῷ μὴ φέρειν τὰ ἀναγκαῖα διαφέρει, εἴπερ καὶ μὴ ποιεῖται δυσχεραίνειν, ἀγαπῶν ἡσυχῇ τὸ κάλλος τῶν λίθων. Δεῖ

([1]) Ennead. I, Lib. IX, περὶ ἐξαγωγῆς, p. 85 A, B. ([2]) l.l. p. 217 E, F. Cf. Ennead. I, Lib. IV, c. 7 in fine, in primis c. 8, p. 34 sq. ([3]) l.l. p. 217 B, C, D.

δὲ μένειν μὲν ἐν οἴκοις σῶμα ἔχοντας, κατασκευασθεῖσιν ὑπὸ ψυχῆς, ἀδελφῆς ἀγαθῆς, πολλὴν δύναμιν εἰς τὸ δημιουργεῖν ἀπόνως ἐχούσης. Plotinus, licet dolores vehementes, quatenus ferri possint, ferendos esse censeat, videtur tamen casus quosdam, *τὰ ἀναγκαῖα*, quibus mortem sibi inferre liceat, excepisse; in quibus insaniam imminentem censendam esse ducit (¹).

Porphyrius, Socratis in Phaedone sententiam secutus, discessum animi a corpore duplicem esse statuit, unum violentum (²) *βίᾳ, πειθοῖ καὶ κατὰ λόγον* alterum: *Ψυχὴ φαύλη καὶ ἄλογος, ἣ τὸ σῶμα ἀπέλειπε βίᾳ συληθεῖσα, προσμένει τούτῳ, ὅπου γε καὶ τῶν ἀνθρώπων αἱ (ψυχαὶ) τῶν βίᾳ ἀποθανόντων, καὶ κατέχονται πρὸς τῷ σώματι, ὃ καὶ τοῦ μὴ βίᾳ ἑαυτὸν ἐξάγειν ᾗ* (malim *ἦν*) *κωλυτικόν*· (³) quae sententia desumta est e Plotini libro *περὶ εὐλόγου ἐξαγωγῆς*, paullo mutata et ad Porphyrii doctrinam conformata. Porphyrius, quum Romae adhuc degeret, de morte sibi inferenda cogitavit, ut ipse testatur in vita Plotini (⁴); quod propositum Plotinus mirabiliter persentiens, domi moranti protinus adstans ei dissuasit eumque Roma abire jussit. Rem aliter

---

(¹) l.l. p. 85 C. (²) De Abst. I, § 38, apud Stob. Flor. Tit. 118, 32. Cff. Holstenius, in vita Porphyrii, c. 9, apud Fabr. B. Gr. IV, p. 262. (³) De Abst. II, § 47. (⁴) c. 11, apud Fabr. B. Gr. IV, c. 26, p. 113.

narrat Eunapius in vita Porphyrii (¹): *Συντείνας δὲ ἐπὶ Λιλύβαιον ἑαυτόν, — ἔκειτο καταςένων καὶ ἀποκαρτερῶν, τροφήν τε οὐ προσιέμενος καὶ ἀνθρώπων ἀλεείνων πάτον. Οὐδ' ἀλαοσκοπίην ὁ μέγας εἶχε Πλωτῖνος ἐπὶ τούτοις, ἀλλὰ κατὰ πόδας ἑπόμενος, ἢ τὸν καταπεφευγότα νεανίσκον ζητῶν, ἐπιτυγχάνει κειμένῳ, καὶ λόγων τε πρὸς αὐτὸν ηὐπόρησε τὴν ψυχὴν ἀνακαλουμένων ἄρτι διίπτασθαι τοῦ σώματος μέλλουσαν, καὶ τὸ σῶμα ἔῤῥωσεν ἐς κατοχὴν τῆς ψυχῆς. Καὶ ὁ μὲν (Πορφύριος) ἔμπνους τε ἦν καὶ διανίςατο, ὁ δὲ (Πλωτίνος) τοὺς ῥηθέντας λόγους εἰς βιβλίον κατέθετο τῶν γεγραμμένων* (²).

Neo-platonici igitur, ut ex his quae monuimus apparet, Pythagorae et Platonis de morte voluntaria sententiam secuti, animum expiationis lu-

(¹) Tom. I, p. 8 et 9 ed. Boiss. et Wytt. Mirum Fabricium, qui l.l. Eunapii locum citat, nihil monere de diversitate narrationis. (²) Fabricius l.l., in notis ad h. l., putat hunc librum fuisse librum de Providentia, quem ad Porphyrium in Siciliam misit (Ennead. III, lib. II); vereor tamen ne hoc verum sit; mihi quidem videtur, si judicium interponere liceat, fuisse librum de Beatitudine (Ennead. I, Lib. IV), quem item ad Porphyrium in Siciliam misit, ut patet ex ejus vita a Porphyrio descripta, c. 6, (Fabr. B. Gr. IV, c. 26, p. 103); cujus scilicet libri argumentum eo valet ut haesitantem ad fortitudinem et patientiam in calamitatibus ferendis excitet, voluntariam autem mortem dissuadeat. Veruntamen non fuisse librum *περὶ εὐλόγου ἐξαγωγῆς* nullum dubium est, quippe jam a Plotino conscriptum anteaquam Porphyrium noverat, teste Porphyrio in ejus vita, c. 4.

strationisque caussa in corpore inclusum esse censebant; quidam tamen inter se litigarunt, utrum et quando liceat animum vi a corpore solvere; e quibus prae ceteris memorandi sunt Macrobius et Olympiodorus. Macrobius (1), qui Platonis et Plotini rationibus utens sic utriusque mentem interpretatur, ut nulla conditione cuiquam concessuri sint sibimet manus inferre, illam tantum mortem laudabilem esse censet, quae ope philosophiae, non ferro, prudentia, non veneno comparatur; qua corpus animum relinquit, non vero animus violenter e corpore extruditur. Olympiodorus, ut supra monuimus, easdem rationes comprobat, sed ita ut inde efficiat, posse aliquando voluntariam mortem permitti; hinc quoque, Platonis argumenta minus comprobans, horum expositioni suam sententiam, *ὅτι οὐ δεῖ ἐξαγαγεῖν ἑαυτούς*, subjungit his verbis (2): *Εἰ τοῦ θεοῦ διττὰς ἔχοντος δυνάμεις ἀναγωγούς τε καὶ προνοητικάς, μὴ ἐμποδίζωνται αἱ προνοητικαὶ τῶν δευτέρων δυνάμεις ὑπὸ τῶν ἀναγωγῶν καὶ αὐταῖς ἐπιστρόφων, ἀλλ' ἅμα κατ' ἄμφω ἐνεργεῖ; οὕτως οὖν καὶ τὸν φιλόσοφον μιμητὴν ὄντα θεοῦ, (ὁμοίωσις (3) γὰρ θεῷ ἡ φιλοσοφία) οὐδὲν κωλύει ἐνεργεῖν ἅμα καὶ γενεσιουργῶς ἐνεργεῖν, καὶ προνοητικῶν τῶν δευτέρων, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ καθαρτικῶν. χωρισθέντα μὲν γὰρ τοῦ σώματος*

(1) In Somn. Scip. I, c. 13. (2) In Schol. in Plat. Phaed. Cod. Ms. Voss. p. 1. (3) Ms. ὁμοίωσι.

μετὰ θάνατον, οὐδὲν μέγα καθαρτικῶς ζῆν· ἐν δὲ τῷ σώματι κατεχόμενον, γενναῖόν ἐςιν ἀντέχεσθαι τῆς καθάρσεως. Δεύτερον ἐπιχείρημα, ὥσπερ τὸ θεῖον ἀεὶ πᾶσι πάρεςι, καὶ τὰ μὲν αὐτοῦ δι᾽ οἰκείαν ἐπιτηδειότητα ἢ ἀνεπιτηδειότητα μᾶλλον ἢ ἧττον μετέχει, οὕτω καὶ τὴν ψυχὴν δεῖ παρεῖναι τῷ σώματι καὶ μὴ χωρίζειν ἑαυτήν. τοῦτο δὲ δι᾽ οἰκείαν ἐπιτηδειότητα καὶ ἀνεπιτηδειότητα μεθέξει αὐτῆς ἢ οὐ μεθέξει. — Τρίτον ἐπιχείρημα, τὸν μὲν ἑκούσιον δεσμὸν ἑκουσίως δεῖ λύειν, τὸν δὲ ἀκούσιον ἀκουσίῳ λύσει λυτέον καὶ μὴ ἀναμίξ. τὴν μὲν οὖν φυσικὴν ζωήν, ἀκούσιον οὖσαν, ἀκουσίῳ λύσει λυτέον τῷ φυσικῷ θανάτῳ, τὴν δὲ μετ᾽ ἐμπαθείας ζωήν, ἣν ἡμεῖς κατὰ προαίρεσιν ἠρησάμεθα, ἑκουσίῳ λύσει λυτέον τῇ καθάρσει.

CYNICI.

Quid Cynici de nostro placito statuerint, deperditis Antisthenis libris de Fortitudine, de Moriendo, de Vita et Morte ([1]) et Diogenis Sinopensis libro de Morte ([2]), minus liquet; ipsum vero dogma de morte voluntaria ab iis celebratum fuisse ipsosque adeo Stoicos in excolendis placitis de morte contemnenda, de nece voluntaria e Cynicis fontibus potissimum hausisse, satis constat.

Tritum iis decretum fuisse videtur: in vita aut mentem parandam esse aut laqueum, quod a Plu-

([1]) D. L. VI, § 16, 17. ([2]) D. L. VI, § 80.

tarcho ([1]) Antistheni, a Diogene Laërtio ([2]) Diogeni Sinopensi tribuitur. Non tamen omnes Cynicos eodem modo docuisse atque inter ipsos adeo hujus sectae coryphaeos jam dissensum fuisse ex illorum colloquio quodam, nisi pro certo affirmari, conjici saltem potest ([3]). Quum Antisthenes, morbo longo et insanabili laborans, e Diogene, cum pugione aliquando ad ipsum ingresso, quis eum doloribus absolveret quaesivisset, hic, porrecto pugione, Istic, inquit; ille vero: doloribus dixi, non vita. Ex hoc fortassis dissensu, maxime vero ex eo quod Antisthenes, cujus vitae genus mollior quam Cynico par esset fuisse videtur, vivendi quae in scriptis suis dedisset praecepta non semper secutus videatur, repetenda sunt dicteria quibus alter alterum insectabatur, quum Diogenes Antisthenem cum tuba, hic illum cum vespae aculeo compararet ([4]).

Incassum laborare mihi viderer, si in tanta testimoniorum inopia ex uno alterove Diogenis dicto veram ejus sententiam elici posse arbitrarer; valde enim dubito an sibi semper constiterit, dicteriisve quae de eo circumferuntur magna auctoritas tribuenda sit. In hac obscuritate duo

---

([1]) De Rep. Stoic. p. 1039 E, supra p. 223. ([2]) VI, § 24. ([3]) D. L. VI, § 18, Suidas in v. Ἀντισθένης, cujus verba, ex Juliani Imp. Orat. VI, p. 181 ed. Spanh. Lips. 1696, exscripta, correxit Menagius ad Laërtii l.l. ([4]) Dio Chrysost. Orat. VIII, p. 130 C, D. Cf. Baguetti annot. ad h. l., p. 17 sqq.

tamen loca, quae aliquid lucis afferre possent, non praetermittenda sunt. Quum Speusippus aeger in Academiam vehiculo ferretur eumque obvium salutaret: Tu vero, inquit, nequaquam salve, qui, quum talis sis, vivere sustines ([1]). Ipse vero, quum gravi humeri dolore laboraret et aliquis eorum qui ei infensi erant mordacius eum insectaretur, dicens, quare, o Diogene, non vitae tuae finem imponis teque ipsum malis liberas? ita respondisse fertur ([2]): Τοὺς εἰδότας ἃ δεῖ πράττειν ἐν τῷ βίῳ καὶ ἃ δεῖ λέγειν, τούτους γε ζῆν προσήκει. Ex quibus locis illud sequi videtur, Diogenem, tam fortitudinem in ferendis doloribus quam mortis contemtum ([3]) commendantem, non nisi intolerabiles dolores mortis sibi inferendae caussam esse statuisse, eoque eum fortassis arrogantiae processisse ut soli Cynico hanc dolorum patientiam concesserit. Quemadmodum de ejus doctrina parum constat, ita maximus dissensus erat inter veteres de ejus mortis genere. Ipsius necessarii, ut in successionibus dixit Antisthenes, putabant eum spiritum continendo animam exhalasse, quam sententiam secutus item est Cercidas Megalopolitanus vel Cretensis in Meliambis, his quidem versibus:

Οὐ μὰν ὁ πάρος γ' ἔα Σινωπεὺς τῆνος
Ὁ βακτροφόρας, διπλοείματος, αἰθεριβόσκας,

([1]) D. L. IV, § 3. ([2]) Aelian. V. H. X, 11. ([3]) Cf. D. L. VI, § 68 init.

'Ἀλλ' ἀνέβα χεῖλος ποτ' ὀδόντας ἐρείσας,
Καὶ τὸ πνεῦμα συνδακών. ἦν γὰρ ἀλαθέως
Διογένης Ζανὸς γόνος, οὐράνιός τε κύων (1).

Aelianus (2) eum de parvo quodam ponte prope gymnasium se dejicisse narrat; alii, ut Laërtius (3), eum canis morsu, alii rursus, pro sua quisque sententia, eum naturalis quodam mortis genere periisse tradunt (4).

Ferax fuit haec secta exemplis eorum qui manus sibi intulerunt; Metrocles enim, qui jam antea, quum Theophrastum adhuc audiret, prae dolore animi domi se incluserat tanquam per inediam e vita excessurus, deinde vero Cratetis, cujus discipulus deinceps evasit, solatiis ab hoc proposito destiterat, obiit senex a se ipso suffocatus (5). Menippus, quum, insidiis circumventus, omnibus bonis privatus esset, prae moerore laqueo sibi vitam extorsit; in quem hoc carmine lusit Diogenes Laërtius (6):

(1) D. L. VI, § 76, 77. (2) Aelian. V. H. VIII, 14. (3) VI, § 77, 79:

Διόγενες ἄγε, λέγε, τίς ἔλαβέ σε μόρος
Εἰς ἄϊδος; ἔλαβέ με κυνὸς ἄγριον ὀδάξ.

Cf. Suidas in vocibus ἄγε δῆτα et Διογένης. (4) Qui de veterum dissensu plura legere cupiat, adeat Laërtium l. l. et quos citant Aldobrandinus et Menagius ad h. l. Cf. etiam Bruckerus, Hist. Phil. Crit. Tom. I, P. II, L. II, c. VIII, § 5, p. 882 sq. (5) D. L. VI, § 94. (6) VI, § 100. Secutus sum Salmasii, de modo usur. p. 63, Lugd. Bat. 1639, et Menagii hujus carminis lectionem versuumque distributionem. Scripsit Varro satyram cui titulus ταφὴ Μενίππου.

Φοίνικα τὸ γένος, ἀλλὰ Κρητικὸν κύνα
Ἡμεροδανειςήν, τοῦτο γὰρ ἐπεκλήζετο,
Οἶσθα Μένιππον ἴσως;
Θήβησιν οὗτος ὡς διωρύγη ποτέ,
Καὶ πάντ' ἀπέβαλεν. Εἰ δ' ἐνόει φύσιν κυνὸς
Αὐτὸν ἀνεκρέμασεν;

Peregrinus, postea Proteus dictus, ejusdem sectae assecla, qui morte magis quam vita innotuit, finitis Olympicis certaminibus, media nocte, Cynicis stipatus, ut reliqui face instructus, quum pyram adscendisset, admirantium spectaculo elatus, sponte se in rogum immisit ([1]).

PERIPATETICI.

Aristoteles, suicidium legibus contrarium, injuriosum civitati ([2]), eorum adeo qui multa et atrocia facinora commisissent refugium ([3]) esse censens, eos qui manus sibi inferrent ignaviae vel timiditatis incusat ([4]): Τὸ δ' ἀποθνήσκειν φεύγοντα

([1]) Lucianus de ejus morte c. 4 et 20 sqq., Ammian. Marc. Rer. Gest. XXIX, 1, Gronovius ad h. l. p. 429, Philostratus de vitis sophist. Lib. II, in Herode, c. 13.
([2]) Nic. V, 15. ([3]) IX, 4. ([4]) Nic. III, 11. Cff. Nic. III, 9, Eud. III, 1. Similem sententiam protulerunt Nabarzanes apud Curtium, Hist. Alex. V, 9: „Fortium virorum est, magis mortem contemnere, quam odisse vitam. Saepe taedio laboris ad vilitatem sui compelluntur ignavi: at virtus nihil inexpertum omittit. Itaque ultimum omnium mors est, ad quam non pigre ire satis est". Critognatus apud Julium Caesarem, de B. G. VII, p. 355 ed. Mont.: „Ani-

πενίαν ἢ ἔρωτα ἤ τι λυπηρὸν οὐκ ἀνδρείου, ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ· μαλακία γὰρ τὸ φεύγειν τὰ ἐπίπονα, καὶ οὐχ ὅτι καλὸν ὑπομένει, ἀλλὰ φεύγων κακόν. Vel sic tamen ex vulgari antiquorum sententia ([1]), nisi probasse, excusasse saltem videtur mortem eorum, qui, ubi nulla spes salutis adesse, omnis libere agendi facultas adempta videretur, manus sibi intulissent, ut ex ejus epistola quadam ad Antipatrum ([2]), si tamen ab ipso scripta est, efficere licet: Εἰ δὲ πρὸς ἁπάσας οἴχεται τὰς φυγὰς οὗτος (ὁ φυγὰς ὁ γέρων, de se ut videtur loquens), ὥστε μὴ κατάγειν, δῆλον ὡς τοῖς γε εἰς ᾅδου κατελθεῖν βουλομένοις, οὐδεὶς φθόνος. Aristoteles, qui tam physica quam ethica ratione de morte voluntaria disseruit, in Problematibus ([3]) docet, melancholiam, item vinolentiam, saepius mortis voluntariae caussas esse dicendas; eos autem homines,

---

mi est ista mollities, non virtus, inopiam paullisper ferre non posse. Qui se ultro morti offerant, facilius reperiuntur, quam qui dolorem patienter ferant". Euripides in Hercule Furente, v. 1347 sqq.:

Ἐσκεψάμην δὲ, καίπερ ἐν κακοῖσιν ὤν,
Μὴ δειλίαν ὄφλω τιν', ἐκλιπὼν φάος,
Ταῖς συμφοραῖς γὰρ ὅστις οὐχ ὑφίσταται,
Οὐδ' ἀνδρὸς ἂν δύναιθ' ὑποστῆναι βέλος.

Martialis, Epigr. XI, 56:

Rebus in angustis facile est contemnere vitam:
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Cf. Sen. Trag. in Phoen. v. 190 sqq. ([1]) Cf. supra p. 257. ([2]) Apud Demetrium, περὶ ἑρμην. §. 233. ([3]) Sect. XXX, qu. 1.

quibus, calore nativo emarcescente, quasi sponte oritur aegritudo, laqueo potius quam alio modo mortem sibi consciscere, maxime quidem juniores, interdum etiam seniores; his enim calorem per aetatem marcescere, quod naturae consentaneum est; illis vero per vim affectus, quod contra naturam est: quibus autem calor subito exstinctus sit eos repente mortem sibi irrogare, ut adeo omnes mirentur, quod nullum indicium praecesserit.

Veterum ille dissensus de principum philosophorum exitu, deperdita Antipatri epistola de Aristotelis morte (1), huic quoque non pepercit recentioresque diu suspensos tenuit in ejus mortis genere definiendo. Conclamata Justini Martyris (2), et Gregorii Nazianzeni (3) sententia, eum in Euripum se praecipitasse, quod caussam ejus fluctuum exquirere et intelligere non potuisset (4); de reliquis duabus viri docti nostris etiam temporibus litigarunt. Apollodori (5) traditionem, quam Dionysius Halicarnassensis (6) receperat, eum morbo periisse, tuiti sunt Bruckerus (7) et in primis Stahrius (8); Fabri-

(1) Vid. Jonsius, de Script. hist. phil. Lib. I, c. 13, p. 81. (2) Cohort. ad Graecos, p. 33 B ed. Par. 1742. (3) Tom. I, p. 79 B ed. Par. 1630. (4) Cff. Tanaq. Faber, Epist. Crit. I, 14, p. 49 sqq. ed. Salm. 1674, Bayle, Dict. art. Aristote, not. Z, Patricius, Disc. Per. p. 11. (5) In Chronicis apud D. L. V, § 10. (6) Ἐπιστ. π. Ἀμμ. περὶ Δημοσθ. p. 121, 24 ed. Sylb. Lips. 1691. (7) Hist. Phil. Crit. T. I, P. II, L. II, c. VII, § 8, p. 792. Cff. Bayle, l.l. not. E et Lilienthal, sel. lit. obs. 5, p. 144. (8) Arist.

cius (1) contra Eumeli (2) eandemque Laërtii (3) et Suidae (4) sententiam, eum aconito sumto mortuum esse, secutus est. Ad dissensum tollendum plurimum sane contulit Welckerus (5), qui, adhibito fragmento epigrammatis, quod, basi statuae Aristoteli ab Alexandro positae, ut Boeckhio videtur, inscriptum, Athenis in gradu domus inventum est (6), hoc epigramma (7), cujus sensus antea prorsus latuerat interpretes, ad Aristotelem retulit, ita quidem, ut post hujus fata inscriptum putaret statuae, quam vivo Alexander posuerat:

οὐδὲ τύχης σ᾽ἐδάμασσε πάλιν κλίναν(τ)α τάλαντα,
    δυσμενέων ὀλοὴν ὕβριν ἀλευάμενον,
ἦ σε τέλος θανάτοιο (πολυκλείτοιο ? (8)) κίχανεν,
    ὡς παύρους προτέρων ἀνέρας ἀγχιθέων·
τῷ (9) ῥα καὶ ἀζόμενος σοφίης ἑὸν ἡγητῆρα
    (σ)τῆσεν Ἀλέξανδρο(ς) κλεινὸν ἅπασι θεόν.

Nitens igitur Eumeli traditioni et Aristotelis epistolae ad Antipatrum, quam supra memoravimus, Welckerus hujus epigrammatis quatuor priores versus ad Aristotelis voluntariam

---

I, S. 152 ff. (1) B. Gr. II, p. 109. (2) Libro quinto historiarum, apud D. L. V, § 6. Cf. Menagius ad h. l. (3) V, § 8. (4) In voce. (5) Rhein. Mus. für Phil. Jahrg. I, 1833, S. 618 folg. (6) Apud Boeckhium, Corp. Inscr. Graec. N° 136, p. 175 sq., άσης στ(ῆ)σεν Ἀλέξα(ν)δρος θεῖον Ἀριςοτέλ(η). (7) Boeckh. Op. l. N° 911, p. 530. (8) Buttmannus πολυκλαύτοιο. (9) Boeckh. de conj. τόν.

mortem refert, et secundum quidem ad ejus fugam in Euboeam, quo, ut inimicorum obtrectationes vitaret, post obitum Alexandri concessit; hunc vero Censorini (1) locum: „Aristotelem ferunt naturalem stomachi infirmitatem crebrasque morbidi corporis offensiones adeo virtute animi diu sustentasse, ut magis mirum sit, ad annos LXIII eum vitam pertulisse, quam ultra non protulisse"; quem Stahrius in suam sententiam traxerat, monuit nihil aliud indicare nisi morbum, quem diu patienter tulisset, tandem mortis Aristoteli incitamentum fuisse, prouti auctor epigrammatis fugam vel aegrimoniam ex fuga conceptam mortis caussam fuisse putasset; utrumque igitur non de genere, sed unice de opportunitate mortis dissensisse. — Missa Stahrii opinione, Welckero, cujus sententia ceteris quidem longe praeferenda mihi videtur, dubia tamen quaedam objicere mihi liceat. Videtur auctor epigrammatis non tantum non significasse fugam Aristoteli caussam mortis sibi inferendae fuisse, sed illud adeo, eum etiam alteram hanc fugam in Euboeam, primum enim ut notum Mytilenem fugerat, aequo animo tulisse, mortemque tandem ei contigisse qualem pauci tantum heroës obiissent; celebrat igitur potius auctor carminis fortitudinem Aristotelis, quod fugae calamitates tam constanter tulerit.

---

(1) De die natali c. 14, p. 72 ed. Haverk., Lugd. Bat. 1743. Cf. Lindenborgius ad h. l.

Videtur nimirum, quum jam per aliquot tempus in Euboea degisset, omnisque spes in patriam redeundi ei ademta videretur, stomachi infirmitate aliisque corporis offensionibus vexatus, tum demum aconitum, tanquam ultimum utrique malo remedium, sumsisse, postquam animo sollicito amicum Antipatrum per epistolam de consilio certiorem fecerat. Quorsum vero mortis encomium in hoc epigrammate, nisi mortem antiquorum consensu laudatam Aristoteles subiisset? Deinde valde dubitem num Appollodori et Dionysii narratio cum sententia de morte voluntaria, ut Welckero videtur, conciliari possit; traditur enim a Laërtio tanquam singularis' sententia, suae et Eumeli traditioni opposita; Apollodori vero traditioni ne Laërtii quidem temporibus magnam fidem habitam fuisse, ex eo conjicio quod hic, uberius exposita Eumeli sententia, illam obiter tantum memoret, atque adeo in epigrammate suo de morte Aristotelis, praeter solitum suum morem, de dissensu ne verbum quidem moneat.

Quid ceteri Peripatetici de morte voluntaria statuerint, temporum invidia nos latet; aetatem tantum tulit Theophrasti opus περὶ φυτῶν ἱϛορίας, quo de venenis egit, quae celeriter mortem afferunt (1). In hunc nullam cadere suicidii suspi-

(1) Lib. IX, c. 17, p. 1143. Cff. c. 15, p. 1116 sq., c. 16, p. 1131, p. 1141 ed. Amst. 1644.

cionem, vel inde conjicere licet, quod, quum nonagesimo nono aetatis anno diem supremum obiret, vel sic tamen moriens quereretur naturam cervis et cornicibus vitam diuturnam, hominibus tam exiguam dedisse (1); homines enim tum mori quum vivere incipiant (2).

Expositis sententiis de morte voluntaria earum philosophiae sectarum quae in doctrina morali ad Stoicorum de summo bono principium proxime accesserunt, ad eas transeamus quae, voluptatem summum bonum habentes, ex ipso hoc principio suam de morte voluntaria sententiam informarunt, Cyrenaïcam dico et Epicuream.

CYRENAÏCI.

Quum Aristippus mortem, quod vitae revera nulla esset felicitas, eligendam (3), insipienti quidem expedire vivere, sapientis vero nihil inter-

---

(1) Cic. Tusc. III, 28. Hoc dictum perperam a Seneca, de Brev. Vit. c. 1, Aristoteli tributum esse jam monuit Lipsius ad Sen. l. l. (2) D. L. V, § 41. Cf. Men. ad h. l. (3) D. L. II, § 94. Ita hunc locum recepi ex Casauboni emendatione; de qua Bruckerus, Hist. Crit. Phil. Tom. I, P. II, L. II, c. III, § 9, p. 600 sq., merito monet eam non soli ingenio esse tribuendam, sed ipsam Hegesiae doctrinam pro fundamento habere. Antea locus ita constitutus erat, quasi Aristippus vitam aeque ac mortem eligendam esse duxisset.

esse dixisset (1), in diversissima quaeque abierunt ejus discipuli.

Hegesias, vulgo πεισιθάνατος (2) dictus, librum scripsit ἀποκαρτερῶν dictum, in quo, teste Cicerone (3), vitae enumerans incommoda, respondit amicis amicum per inediam a vita discedentem revocantibus, tantaque eloquentia mala vitae repraesentavit ut multos ad mortem oppetendam excitaret; quamobrem a Ptolemaeo rege ulterius in scholis illa dicere prohibitus esse dicitur.

Theodorus contra atheus sapienti numquam, ne pro patria quidem, consentaneum esse censebat e vita cedere (4), cujus sententiae rationem novimus e Stobaeo (5): Θεόδωρος μὲν γὰρ ὁ Κυρηναῖος (6) οὐδεμίαν ἱκανὴν πρόφασιν ἔφασκεν εἶναι τῷ σοφῷ πρὸς τὴν τοῦ βίου κατάλυσιν. Καί τό τε ἀκόλουθον οὕτως ἑώρα. τὸ γὰρ καταφρονοῦντα τῶν ἀνθρωπείων συμπτωμάτων ἀπωςὸν ὑπ' αὐτῶν ἐκ τοῦ βίου γίγνεσθαι, πῶς οὐχ ὑπεναντίον τῷ μόνον μὲν τὸ καλὸν ἀγαθόν, μόνον δὲ αἰσχρὸν τὸ κακὸν εἰρηκότι; Ceterum Theodorus ex communi Cyrenaïcorum sententia, quam postea Epicurus quoque secutus est, mortem tanquam aeternum nihil sentiendi

---

(1) D. L. II, § 93. (2) D. L. II, § 86. (3) Tusc. I, 34. Cff. Val. Max. VIII, 9, 3, et G. J. Vossius, de Hist. Graec. Lib. I, p. 81. Similem mortis laudationem scripsit Alcidamas, nobilis rhetor antiquus, teste Cicerone, Tusc. I, 48. (4) D. L. II, § 98. (5) Flor. Tit. 119, 16 ed. Gaisf. (6) Ita legendum videtur pro vulg. Κυθηραῖος.

receptaculum nisi optandam certe non timendam esse duxit, ut ex ejus dicto quodam apud Ciceronem ([1]) apparet: „Magnum vero", dixit Lysimacho mortem ei minitanti, „effecisti, si cantharidis vim consecutus es". Quod tamen dictum aliter his verbis retulit Seneca ([2]): „Habes cur tibi placeas: hemina sanguinis in tua potestate est".

EPICUREI.

Objurgat Epicurus non minus eos qui mortem concupiscant quam qui timeant, et ait ridiculum esse currere ad mortem taedio vitae, quum genere vitae ut ad eam currendum esset effeceris, vitamque tibi inquietam reddideris metu mortis ([3]); eos igitur qui vel juvenem bene vivere vel senem bene ex vita discedere admonent, fatuitatis incusat, non modo quia vita per se optabilis est, verum praesertim quia eadem est meditatio bene vivendi et bene moriendi ([4]). Mors nihil ad nos; nam quod dissolutum est, sensu caret; quod sensu caret, nihil ad nos ([5]): idcirco ad dolores ita parati simus, ut, memores maximos morte finiri, parvos

---

([1]) Tusc. V, 40. Cf. Val. Max. VI, 2. ([2]) De Tranq. Anim. c. 14. ([3]) Sen. Ep. 24. ([4]) D. L. X, § 126. ([5]) Cff. l.l. supra p. 213, not. 1, quibus addantur Cic. de Fin. I, 13, Tertull. de Anim. c. 42, Ambros. Epp. Class. I, Ep. 63, Tom. II, p. 1027 ed. Par. 1690.

multa habere intervalla requietis, mediocrium nos esse dominos, si tolerabiles sint, eos feramus, sin minus, aequo animo e vita, quum ea non placeat, tanquam e theatro exeamus (1). „Malum est", ex Epicuri mente ait Seneca (2), „in necessitate vivere; sed in necessitate vivere, necessitas nulla est. — Patent undique ad libertatem viae multae, breves, faciles. Agamus Deo gratias, quod nemo in vita teneri potest; calcare ipsas necessitates licet". Nostrum erit meditari utrum commodius sit, mortem transire ad nos, an nos ad illam (3); in vita enim servanda quoque videtur illa lex, quae in Graecorum conviviis obtinet: ἢ πῖθι ἢ ἄπιθι, *aut bibas aut abeas* (4). Injurias fortunae

(1) Cic. de Fin. I, 15. Operae pretium esse duxi hunc locum conferre cum simili fragmento apud Stobaeum, Flor. Tit. 121, 39 ed. Gaisf.: Ἐν τῷ βίῳ καθάπερ ἐν θεάτρῳ ἄχρι τούτου δεῖ παραμένειν, ἄχρις οὗ τὴν τῶν ἔργων θέαν ἐπιτερπῆ εἶναι συμβαίνει. Quod fragmentum vulgo, maxime auctoritate Cod. Ms. Bibl. Reg. Par. N° 2656 bombycino, Socrati inscribitur; mihi vero, quum hoc dictum Socraticae sententiae, exspectandum nobis esse donec deus necessitatem e vita recedendi imposuerit, non igitur nobis de nobismetipsis statuere licere (cf. supra p. 293), repugnet, cum Ciceronis vero loco citato, Epicuri sententiam referente, ad verbum conveniat, probabile videtur, in ipso lemmate, quod in editione Trincavelliana, quam codicem Venetum maxime secutam esse novimus, prorsus desideratur, pro Socrate Epicuri nomen esse reponendum. (2) Ep. 12. (3) Ep. 26. (4) Cff. Cic. Tusc. V, 41, Erasm. Adag. p. 637 sq. ed. Wech. 1643.

ferendas patienter sustineamus, quae ferri nequeant, defugiendo relinquamus.

Epicurus, senectute jam provectus, morbo stranguriae laborans, quum, ut in epistolis ait Hermachus, per quatuordecim dies gravissimos dolores patienter tulisset, tandem, quum ei intolerabiles viderentur, doctrinae suae praeceptis obsecutus, pelvim aeneam, aquis calentibus plenam, ingressus, poto insuper mero, ita defecit (1).

Lucretius, germanus Epicuri discipulus, hac increpatione homini vitae munere functo aequo animo mortem ferendam vitamque deponendam esse monet (2):

Quid tibi tantopere 'st, mortalis, quod nimis aegris
Luctibus indulges? quid mortem congemis ac fles?
Nam si grata fuit tibi vita anteacta priorque,
Et non omnia pertusum congesta quasi in vas
Commoda perfluxere atque ingrata interiere,
Cur non, ut plenus vitae conviva, recedis,
Aequo animoque capis securam, stulte, quietem?
Sin ea, quae fructus cumque es, periere perfusa,
Vitaque in offensu 'st, cur amplius addere quaeris
Rursum quod pereat male et ingratum occidat omne,
Nec potius vitae finem facis atque laboris?

Quantum mortis ille metus vitae taedium alat, ut saepe adeo suicidii caussa exsistat, ipsum hunc metum perstringens, paucis his versibus docet (3):

Et saepe usque adeo, mortis formidine, vitae

(1) D. L. X, § 15. Cf. Cic. de Fato, c. 9. (2) III, v. 946 sqq. Cff. v. 611 sqq., 968 sqq., 1100 sqq. (3) III, v. 79 sqq.

Percipit humanos odium lucisque videndae,
Ut sibi consciscant moerenti pectore lethum;
Obliti fontem curarum hunc esse timorem,
Hunc vexare pudorem, Hunc vincula amicitiaï
Rumpere, et in summa pietatem evertere fundo.

Denique, postquam Democriti (1) et Epicuri, qui senes vitae suae finem imposuerunt, exitum cum specie quadam commendationis retulerat, senectutem, imbecillitate vexatam, justam e vita recedendi caussam esse censet (2), quam caussam novimus a nonnullis etiam Stoicis esse probatam (3):

Tu vero dubitabis et indignabere obire,
Mortua quoi vita est prope jam vivo atque videnti?
Qui somno partem majorem conteris aevi?
Et vigilans stertis, nec somnia cernere cessas,
Sollicitamque geris cassa formidine mentem?

Lucretius, amatorio poculo in furorem versus, quum aliquot libros per intervalla insaniae conscripsisset, tandem propria se manu interfecit (4).

---

(1) De hujus morte veterumque dissensu vide D. L. in ejus vita, IX, § 43, Athen. Deipn. II, p. 46 E, Suidam in voce, Baylium, Dict. art. Democrite, not. E et M. Ant. εἰς ἑαυτόν, III, § 3, qui tamen Democritum cum Pherecyde confudisse videtur. Cf. Gatak. ad h. l. (2) III, v. 1058 sqq. (3) Cff. supra p. 228, 232 sq. et cum hoc Lucretii loco Seneca, Ep. 58: „Non relinquam senectutem, si me totum mihi reservabit: totum autem ab illa parte meliore. At si coeperit concutere mentem, si partes ejus convellere, si mihi non vitam reliquerit, sed animam; prosiliam ex aedificio putrido ac ruenti". (4) Euseb. Chron. Lib. II, p. 150 ed. Lugd. 1606. Cf. Funccius, de adolesc. Lat. ling. c.

Plinius Major, cujus scripta Epicuream doctrinam spirant, mortem voluntariam naturae optimum beneficium esse censuit: „Imperfectae", inquit ([1]), „in homine naturae praecipua solatia, ne Deum quidem posse omnia: namque nec sibi potest mortem consciscere, si velit, quod homini dedit optimum in tantis vitae poenis"; et alio loco ([2]), postquam docuerat vitam non adeo esse expetendam, ut quoquo modo trahenda sit, optimum unicuique animi remedium mortem esse statuit: „Ex omnibus bonis, quae homini tribuit natura, nullum melius est tempestiva morte: idque in ea optimum, quod illam sibi quisque praestare poterit" ([3]). Ipsam terram matrem laudat, quod nostri miserta venena instituerit, ne in vitae taedio fames, mors terrae meritis alienissima, lenta nos consumeret tabe; ne lacerum corpus abrupta dispergerent; ne laquei torqueret poena praepostera, incluso spiritu, cui quaereretur exitus; ne, in profundo quaesita morte, sepultura pabulo fieret: ne ferri cruciatus scinderet corpus; sed ut facilli-

---

3, § 42. Ejus exemplum Oxforti secutus est celeber ejus editor Thomas Creech. Vide Jac. Bernardi nov. relat. reip. lit. 1700, p. 331, Stäudlinum, op. l. p. 153, Delisle de Sales, Phil. de la Nat. V, p. 399. ([1]) Nat. Hist. II, 5. ([2]) XXVIII, 2. ([3]) Simile est Bacchi illud in Euripidis Bacchis, v. 498:

Λύσει μ' ὁ δαίμων αὐτὸς, ὅταν ἐγὼ θέλω.

Quod paene vertit Horatius, Epp. I, 16, 78:

Ipse Deus, simul atque volam, me solvet.

mo haustu, illibato corpore, et cum toto sanguine exstingueremur, nullo labore, sitientibus similes ([1]). Plinius, qui, ut ex locis quae retulimus apparet, in primis physica ratione de morte voluntaria disseruit, asperrimos cruciatus calculorum e vesicae stillicidio, stomachi et eorum quae in capite doleant, solas fere naturales mortis sibi consciscendae caussas esse docuit ([2]). Beatissimi ei videbantur incolae montium Hyperboreorum, qui, epulati, delibuto senio luxu, e vitae satietate e rupe in mare se praecipitarent ([3]).

Plinius Minor avunculi, patris adoptivi, vestigia secutus sui ipsius necem, ubi justae caussae adsunt, maxime probasse videtur: „Impetu quodam et instinctu", inquit, „procurrere ad mortem, commune cum multis: deliberare vero et caussas ejus expendere, utque suaserit ratio, vitae mortisque consilium suscipere vel ponere, ingentis est animi ([4])". Plinium morbum insanabilem justam e vita recedendi caussam habuisse, apparet, cum ex ejus sententia de morte Silii Italici, quem, quum natus ei esset insanabilis clavus, hujus taedio irrevocabili constantia inedia ad mortem decurrisse tradit ([5]); tum vero maxime ex ejus judicio de morte voluntaria Corellii Rufi, optimi amici vitaeque rectoris ([6]): „Est luctuosissimum genus mortis, quae non ex natura nec fatalis videtur. Nam

---

([1]) II, 63. ([2]) XXV, 7. ([3]) IV, 26. ([4]) Epp. I, 22. Cf. supra p. 240. ([5]) Epp. III, 7. ([6]) Epp. I, 12.

utcunque in illis, qui morbo finiuntur, magnum ex ipsa necessitate solatium est; in iis vero, quos arcessita mors aufert, hic insanabilis dolor est, quod creduntur potuisse diu vivere. Corellium quidem summa ratio, quae sapientibus pro necessitate est, ad hoc consilium compulit, quamquam plurimas vivendi caussas habentem. — Sed tam longa, tam iniqua valetudine conflictabatur, ut haec tanta pretia vivendi mortis rationibus vincerentur". Enarrata deinceps ipsius morbi natura atque ratione, laudata ejus constantia, qua jam per quatuor dies cibi abstinentia increscentem valetudinem mitigare tentaverat, qua, quum mori destinasset, neque uxoris neque filiae precibus se flecti patiebatur, haec tandem addit: „Dixerat sane medico admoventi cibum, *κέκρικα*, quae vox quantum admirationis in animo meo, tantum desiderii reliquit". Laudat etiam Plinius mortem feminae municipis, quae marito, morbo insanabili laboranti, se ei alligans et in lacum abjiciens, ipsa comes mortis, immo dux et exemplum et necessitas fuit; illudque factum clarissimo Arriae facto adaequandum censet (1).

Seneca (2) denique refert, fuisse Epicureum quendam Diodorum, quem gulam sibi praesecuisse; cujus factum quum alii, negantes Epicuri decretis congruere, dementiae, alii temeritatis incusarent, ipse Seneca ita judicat: eum, beatum

---

(1) Epp. VI, 24. (2) De Vit. Beat. c. 19.

ac plenum bona conscientia, reddidisse sibi testimonium vita excedentem, aetatisque in portu et ad ancoram actae quietem laudasse (¹).

Singulorum Philosophorum, Poëtarum, Historicorum aliorumque de morte voluntaria sententiae.

Expositis eorum philosophorum sententiis, qui vel ipsi novas sectas condiderunt iisque praefuerunt, vel saltem peculiarem hujus illiusve sectae sententiam secuti sunt, jam de nonnullis antiquorum sententiis, quae ad doctrinam quidem earum sectarum quas retulimus referri non possunt, minime tamen praetermittendae sunt, deinceps videamus.

Heraclitus Ephesius, ὁ σκοτεινὸς dictus, in fragmento quodam Themistii e libro περὶ ψυχῆς (²) statuisse fertur: homines ob mortis metum, eorum animis a natura inditum, sponte in vita ma-

---

(¹) Memorandus hoc loco item videtur Dionysius Heracleotes, homo levis, qui, relicta Zenonis schola quum molestissimam lippitudinem diutius ferre non posset, ad Cyrenaïcos vel Epicureos transiit inediaque consumtus interiit. Cff. D. L. VII, § 167, Lucian. bis acc., Tom. II, p. 815, 817 ed. Reitz., Cic. Tusc. II, 25. (²) Apud Stob. Flor. Tit. 128, 28 ed. Gaisf., quod fragmentum ex cod. Par., N° 2656 bombycino Bibl. Reg., Themistio rursus vindicavit Gaisfordus, quum Wyttenbachius, ad Plut. de S. N. V. p. 129, Plutarchi illud esse statuisset.

nere; hunc vero metum proficisci ex ignoratione et diffidentia sortis futurae; quod si enim certo scirent homines quanta ipsos post mortem maneret felicitas, nihil fore quod in vita eos retinere posset. Docebat scilicet Heraclitus et vitam esse et mortem quum vivimus et quum morimur; nam quum vivimus, mortuos esse animos nostros et in nobis sepultos; quum autem morimur, revivescere et vivere (1). De Heracliti morte antiqui plerique conveniunt, eum, morbo aquae intercutis arreptum, ut humorem exhauriret fimo bibulo se obruentem, fata properasse (2).

---

(1) Sext. Empir. Pyrrhon. Hyp. III, § 230. Cff. Clem. Alex. Strom. III, p. 520 ed. Pott,, ubi hoc placitum Pythagorae etiam tribuitur, et Plut. Cons. ad Apoll. p. 106 E. Iisdem prorsus argumentis utitur Juncus in fragmento libri de Senectute, apud Stob. Flor. Tit. 121, 35, ut doceat exitum e vita praestare vitae studiose a multis expetitae; neque alienum erat hoc placitum, ex Orphicis, ut videtur, mysteriis repetendum (Theodor. Graec. Affect. Cur. V, p. 544 C, D), a Platonis doctrina, qui in Gorgia, p. 300 A ed. Fic., simile Euripidis dictum ex incerta tragoedia (quod item occurrit apud Diogenem Laërtium, in vita Pyrrhonis, IX, § 73. Cff. Menagius ad h. l., Stob. Flor. Tit. 120, 18) laudans:

Τίς δ'οἶδεν, εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν,
Τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν;

et in Cratylo, p. 264 C, animum velut in sepulcro in corpore inclusum esse docet. Cff. Stallbaum ad Plat. l.l. et Boeckhius, in Philolao, p. 181 sqq. (2) M. Ant. εἰς ἑαυτόν, III, § 3, Tertullianus ad Martyras, Opp. omn. Tom. I, p. 157, Lutet. 1634. De dissensu cons. D. L. in vita IX, § 4 sqq., Men. ad h. l. et Gatak. ad M. Ant. l.l.

Herodotus, Historiarum libro septimo (1), Artabanum inducit, qui, vitae humanae fragilitatem et infelicitatem questus, mortem optatissimum vitae perfugium esse docet, hujus vero miseriae invidum daemonem incusat (2): Ὁ μὲν θάνατος, μοχθηρῆς ἐούσης τῆς ζωῆς, καταφυγὴ αἱρετωτάτη τῷ ἀνθρώπῳ γέγονεν· ὁ δὲ θεός, γλυκὺν γεύσας τὸν αἰῶνα, φθονερὸς ἐν αὐτῷ εὑρίσκεται ἐών (3).

Quas Graecorum tragicorum coryphaei de nostro placito protulerint sententias, licet ex his quid ipsi senserint non semper pro certo affirmari possit, non praetermittendae tamen videntur, quum vulgarem Graecorum de suicidio sententiam ex eorum tragoediis maxime cognoscere liceat. In eo autem illi conveniunt mortem vitae miserae esse praeferendam (4), mortem tutum esse malorum

(1) c. 46. (2) Cff. quae de divina hac invidia monuit Alb. de Jongh, de Herod. Phil. c. I, § IV, in primis p. 34 sqq. (3) Hic locus apud Stobaeum, in cujus Florilegio ter occurrit, ut reposuimus legitur Tit. 121, 40 ed. Gaisf.; Tit. vero 98, 62 pro γεύσας invenimus τεύξας et pro φθονερὸς δυσξύνετος, eodem Tit. fragm. 73 pro γεύσας τάξας, ubi Gesn. in marg. alii πλέξας, alii τεύξας. (4) Cff. Aeschylus, in Ixione, Stob. Flor. Tit. 121, 16; in inc. fragm., Stob. Flor. Tit. 121, 17: Sophocles, in Pelei inc. fragm. XXXI, Stob. Flor. Tit. 121, 9; in Antigone, v. 467 sq.: Euripides, in Erechtheo, fragm. XI, Stob. Flor. Tit. 121, 15; in Archelao, fragm. IV, Stob. Flor. Tit. 7, 5; in Cresphonte, fragm. I, Stob. Flor. Tit. 120, 22; in Hecuba, v. 373 sqq., Stob. Flor. Tit. 121, 20; in Perithoi fragm. VIII, Stob. Flor. Tit. 121, 24; in Troad. v. 632; in Jone, v. 856 sq.

perfugium ([1]). Apud Aeschylum in Prometheo vincto ([2]) Io inducitur ab aspera rupe se projicere animo cogitans, ut, allisa terrae, ab omnibus malis liberetur. Apud Sophoclem ii qui in calamitatibus longam vitam optent, ignaviae, duritiei ([3]), turpitudinis incusantur:

> Αἰσχρὸν γὰρ ἄνδρα τοῦ μακροῦ χρῄζειν βίου,
> Κακοῖσιν ὅστις μηδὲν ἐξαλλάσσεται.

quibus haec deinceps subjunguntur:

> Ἀλλ' ἢ καλῶς ζῆν, ἢ καλῶς τεθνηκέναι
> Τὸν εὐγενῆ χρή ([4]).

Suicidia in Sophoclis tragoediis referuntur Haemonis ([5]), qui Antigonae, cujus amore captus erat, ignominiosam mortem aegre ferens, ense pectore perfosso, matri Eurydicae ut suum exemplum sequeretur auctor est ([6]); Dejanirae ([7]), quae teli cuspide vitae suae finem imponit, quum ex filio Hyllo comperisset, Herculem, induta veste splendida, quam ei miserat Nessi cruore tinctam, Trachinem furentem esse delatum, visceribus lethali veneno correptis; Ajacis ([8]),

---

([1]) Aeschylus in Prom. vinct. v. 727, Euripides in Heracl. v. 595 sq. Cf. Stob. Flor. Tit. 120, 6. ([2]) v. 720 sqq. ([3]) In inc. fragm. XXXI, Stob. Flor. Tit. 121, 21. ([4]) In Ajace v. 473 sqq. Cf. Electra v. 1489 sqq. ([5]) Antig. v. 1175 sqq. Cff. v. 751 sqq. ([6]) v. 1282 sq. ([7]) Trach. v. 876 sqq. Cff. v. 676 sqq. et Seneca Trag. in Herc. Oet. v. 742 sqq. ([8]) In trag. ejus nominis v. 898 sqq. Cff. v. 416 sqq., 815 sqq.

in furorem acti ex nimio dolore, quod Achillis arma Ulyssi, non sibi, judicio cessissent.

Euripides, cujus sententiae, philosophis praeceptis refertae, paullo uberius exponendae sunt, mortem voluntariam tanquam morbum, tanquam insaniam esse dissuadendam, amorem vitae, licet nulla sit laborum requies, a natura hominibus esse innatum (1), neque sapienti unquam propter vitae calamitates manus sibi inferre licere, diserte pronuntiat:

> Ὅστις δὲ λύπας φησὶ πημαίνειν βροτούς,
> Δεῖν δ᾽ ἀγχονῶν τε καὶ πετρῶν ῥιπτεῖν ἄπο,
> Οὐκ ἐν σοφοῖσιν ἐςίν· εὐχέσθω δ᾽ ὅμως
> Ἄπειρος εἶναι τῆς νόσου ταύτης ἀεί (2).

et alio loco (3):

> Τὸ φῶς τόδ᾽ ἀνθρώποισιν ἥδιςον βλέπειν·
> Τὸ νέρθεν οὐδέν. μαίνεται δ᾽ ὃς εὔχεται
> Θανεῖν· κακῶς ζῆν κρεῖσσον ἢ θανεῖν καλῶς.

Exempla mortis voluntariae in Euripidis tragoediis occurrunt plurima. In Phoenissis (4) Menoeceus, quum intelligit patrem Creontem patriam perdere ut filium servet, ad necem vo-

---

(1) Hyppol. v. 189 sqq., in primis 203 sqq., et in fragm. inc. XXXI, Stob. Flor. Tit. 121, 12. (2) Fragm. inc. LXV, Stob. Flor. Tit. 99, 4. (3) Iphig. in Aul. v. 1250 sqq., Stob. Flor. Tit. 119, 5. Similiter Homerus, Odyss. XI, v. 488 sqq., apud Stob. Flor. Tit. 119, 11. (4) v. 998 sqq.

luntariam sponte se accingit; in Hippolyto ([1]) hujus mater Phaedra propter incestum erga filium amorem suspendio vitam finit; in Supplicibus ([2]) Evadna, Capanei uxor, ut una cum marito mortuo comburatur, rogum ejus conscendit; in Heraclidis ([3]) Macaria una ex Herculis filiabus, quum audivisset Jolaum in eo esse ut se ipsum Eurystheo letho offerret, ut Herculis liberi salvi manerent, sponte fratrum et sororum caussa mortem oppetit; unus tamen locus prae ceteris videtur memoratu dignus, ubi Herculem mortem sibi paraturum amicus Theseus adhortatur ut animum cogitatione supra vulgus erigat, neque patiatur se a fortuna vinci ([4]):

Θη. Δράσεις δὲ δὴ τί; ποῖ φέρῃ θυμούμενος;
Ἡρ. Θανών, ὅθεν περ ἦλθον, εἶμι γῆς ὕπο.
Θη. Εἴρηκας ἐπιτυχόντος ἀνθρώπου λόγους.
Ἡρ. Σύ γ', ἐκτὸς ὢν γε συμφορᾶς, με νουθετεῖς.
Θη. Ὁ πολλὰ δὴ τλὰς Ἡρακλῆς λέγει τάδε;
Ἡρ. Οὔκουν τοσαῦτά γ', εἰ μέτρῳ μοχθητέον.
Θη. Εὐεργέτης βροτοῖσι καὶ μέγας φίλος;
Ἡρ. Οἵδ' οὐδὲν ὠφελοῦσί μ', ἀλλ' Ἥρα κρατεῖ.
Θη. Οὐκ ἄν σ' ἀνάσχοιθ' Ἑλλὰς ἀμαθίᾳ θανεῖν ([5]).

Hercules deinceps rationes affert propter quas

([1]) passim, in primis v. 596 sqq., 715 sqq., 776 sqq. ([2]) v. 1000 sqq. ([3]) v. 450 sqq., 498 sqq. ([4]) Herc. Fur. v. 1241 sqq. ([5]) v. 1246—1255. Cf. Sen. Trag. in Herc. Fur., Act. V, in primis v. 1218 sqq.

non diutius sibi in hac vita manendum sit; mox tamen Thesei oratione confirmatus, consilium tanquam ignavum et timidum dimittit.

Ut igitur ex his quae monuimus apparet Euripidem vulgo eos qui ob vitae aerumnas ultro se morti obtulerint opprobrio tegisse, ita pro parentibus, pro liberis, pro cognatis, pro amicis mortem oppetere nolle turpe duxit ([1]). Exemplum sit unum instar omnium pulcherrimum illud amicitiae certamen Orestem inter et Pyladem ([2]):

> Αἰσχρὸν, θανόντος σου, βλέπειν ἡμᾶς φάος·
> Κοινῇ τ' ἔπλευσα, δεῖ με καὶ κοινῇ θανεῖν·
> Καὶ δειλίαν γὰρ καὶ κάκην κεκτήσομαι. . . . .
> Κοὐκ ἔσθ' ὅπως οὐ χρὴ συνεκπνεῦσαι μέ σοι,
> Καὶ συσφαγῆναι καὶ πυρωθῆναι δέμας,
> Φίλον γεγῶτα καὶ φοβούμενον ψόγον.

Memorandum hoc loco nobis videtur Cleomenis responsum, quo Therecyoni, qui, devictis ab Antigono Lacedaemoniis, ne in hostium manus incideret de morte sibi inferenda cogitabat, hoc ejus consilium his fere verbis dissuadere conatus est: „Existimasne te esse fortem, vitae finem imponere captantem, quod in rebus mortalium facillimum et omnibus promptissimum, fu-

---

([1]) Alcest. v. 636 sqq., Androm. v. 411 sqq., Orest. v. 1041 sqq. ([2]) Iphig. in Taur. in primis v. 674 sqq., 684 sqq.; priores versus respexit Horat. Od. IV, 9, 31 sq. Cf. supra p. 251 sq.

gam tibi consciscentem priore turpiorem? Nam hostibus jam cesserunt nobis etiam praestantiores, vel fortuna duriore conflictati, vel hostium numero oppressi; qui vero laboribus et aerumnis, praeconiis et vituperiis hominum fatiscit, is a sua ipsius ignavia superatur; oportet enim mortem spontaneam non fugam esse actionum, sed actionem, quum turpe sit sibi soli vel vivere vel mori, ad quod tu nunc nos evocas, qui, nihil aliud sive pulchrum sive utile consecuturus, praesenti calamitate te expedire properas; ego vero et tibi et mihi deserere patriam, cujus spes in nobis omnis sita est, non decere existimo; ubi vero spe ipsi destituti sumus facillime mori nobis, quandocunque voluerimus, licebit (1)". Hoc Cleomenis consilio Therecyonem a proposito non deterritum fuisse novimus, qui simulatque e Cleomenis conspectu recesserat ad littus, ferrum pectori infixit, sed vel sic tamen insignia sunt haec verba regis Spartanorum, qui pro patria omnia vilia esse debere sibi persuasum habebat (2). De ipsius Cleomenis

(1) Plut. in vitis Agid. et Cleom. p. 819 E, F, 820 A. Contrarium huic consilium Perseo, Macedonum regi, deprecanti ne in triumpho duceretur, dedit Romanorum consul Paullus Aemilius, ut docet Cicero, Tusc. V, 40. (2) Cum hoc Cleomenis responso conferri possunt ea, quae de Lacedaemoniis Archidamum dixisse fingit Isocrates, Tom. II, p. 58 ed. Batt.: Λακεδαιμονίους δ'οὐχ οἷόν τ' ἐςὶν ἐκ παντὸς τρόπου ζητεῖν τὴν σωτηρίαν. 'Αλλ' ἂν μὴ ᾖ πρὸς τῷ καλῷ σώζεσθαι, θάνατον ἡμῖν αἱρετέον ἐςί. Τοῖς γάρ.

exitu non constat inter veteres: alii enim eum, postquam frustra duodecim amicorum auxilio e vinculis, in quae a Ptolemaeo Philopatre conjectus fuerat, se liberare tentarat, una cum incepti sociis violentas sibi manus intulisse (1), alii ab ipso Ptolemaeo interfectum esse (2) tradunt.

Plautus, princeps Romanorum comicus, mortis sibi inferendae, optimi ex ejus sententia in rebus miseris remedii (3), primam hominibus caussam amorem fuisse dicit, cujus vim egregie his versibus pingit (4):

Credo ego amorem primum apud homines carnuficinam commentum:
Hanc ego de me conjecturam domi facio, ne foris quaeram,
Qui omnes homines supero atque antideo cruciabilitatibus animi:
Jactor, crucior, agitor, stimulor, vorsor in amoris rota miser:
Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior; ita nubilam mentem
Animi habeo: ....
Ita me amor lassum animi ludificat, fugat, agit, appetit,
Raptat, retinet, lactat, largitur: ....
.... ita meum frangit amentem
Animum: neque, nisi quia miser non eo pessum, mihi ulla abest
Perdito pernicies.

De Cicerone, item de Plutarcho quod addamus vix habemus; illum enim in suis scriptis non

---

περὶ ἀρετῆς ἀμφισβητοῦσιν, ὑπὲρ οὐδενὸς οὕτω σπουδαςέον, ὡς ὑπὲρ τοῦ μηδὲν αἰσχρὸν πράττοντας φανῆναι. (1) Plut. l.l. p. 822, 823 A. (2) Justinus, Hist. Phil. XXVIII, 4. (3) In Rud. Act. III, sc. III, v. 12 sq. (4) In Cistell. Act. II, sc. 1 ab init.

suam sententiam proposuisse, sed pronti e Stoicorum vel Academicorum personis disputat, ita horum placita sua etiam fecisse; hunc vero contra Stoicos disputantem, magis hos philosophos cavillandi quam suam sententiam explicandi studio ductum fuisse novimus; sed vel sic tamen apparere mihi videtur, neutrum mortem voluntariam sine ulla exceptione damnasse; Ciceronem vero multo remissius Plutarcho de ea cogitasse (1). Cicero adeo post amissam a Pompejo pugnam Pharsalicam deliberasse videtur sibine violentas manus injiceret; in epistola enim ad M. Marium (2) caussas exponens cur post hanc pugnam Pompejanos reliquerit: „Discessi", inquit, „ab eo bello, in quo aut in acie cadendum fuit aut in aliquas insidias incidendum aut deveniendum in victoris manus aut ad Jubam confugiendum aut capiendus tanquam exsilio locus aut consciscenda mors voluntaria. — Veni domum, non quo optima vivendi conditio esset, sed tamen, si esset aliqua forma rei publicae, tanquam in patria ut essem: si nulla, tanquam in exsilio. Mortem mihi cur consciscerem, caussa nulla visa est; cur optarem, multae".

Aetatis ordine ita procedens disputatio a Graecis Romanisque nos quasi sponte ad duos eximios

(1) Cff. in primis Cic. de Orat. III, 3, Tusc. I, 30, V, 40, 41, de Off. I, 31, pro Cluent. c. 61, pro Sext. c. 21, et Plut. de Anim. Tranq. p. 476 A, de Rep. Stoic. p. 1039 E, F, 1040 A, 1042 C, D, adv. Stoic. p. 1060 E, 1063 E.

(2) Epp. ad Fam. VII, 3. Cf. V, 15.

philosophos Judaeos, Philonem Alexandrinum et Josephum Hierosolymitanum, traducit, quorum uterque quidem Platonicam philosophiam sibi imitandam proposuit, Philo tamen non tantum mortis voluntariae exempla, quae affert, laudat et comprobat, sed in oratione sua coram Petronio ([1]) defendit adeo popularium suorum errorem, quo mortem sibi consciscere quam paterna sacra relinquere aut tormentis excruciari malint: Ἀποθανόντων τὸ ἐπίταγμα γίνεσθω. Μέμψαιτ' ἂν οὐδὲ θεὶς ἡμᾶς ἀμφοτέρων ϛοχαζομένους, καὶ τῆς πρὸς τὸν αὐτοκράτορα εὐλαβείας, καὶ τῆς πρὸς τοὺς καθωσιωμένους νόμους ἀποδοχῆς. Γενήσεται δὲ τοῦτο, ἐὰν ὑπεκϛῶμεν ἀβιώτου βίου καταφρονήσαντες. Josephus autem, summae timiditatis et ignaviae accusans eum qui manus sibi inferat, mortem voluntariam impugnat eamque et communi omnium animalium naturae repugnare et summam in divinum creatorem impietatem esse censet. Nullum, inquit, est animal quod ex industria vel ultro moriatur, omnibus vero innata est tanquam constans naturae lex vivendi cupiditas; quocirca nos etiam eos, qui vitam nobis aperte vel dolo eripere studeant, hostes ducere et tanquam insidiatores poena persequi solere. Ipsum denique Deum aegre ferre, si donum ejus despiciat homo ([2]). His

---

([1]) De Virt. et Leg. ad Cajum, Opp. Tom. II, p. 581 ed. Mangey. Cf. de Execr. Tom. II, p. 430. ([2]) De B. J. Lib. III, c. 8, § 5. A Josepho Lib. VII, c. 8, § 6 et 7

argumentis, maxime e Platonica philosophia ductis, Josephus utitur ut suis persuadeat, potius Romanis se tradere quam manus sibi inferre; de cujus orationis infelici successu non est quod plura moneamus, ipsum Josephum in sententia stetisse novimus. Josephi argumenta refert etiam Hegesippus, quem ejus epitomatorem merito dixeris (1); iisdem quoque, etsi potius e religionis Christianae principiis quam e Platonico fonte ea duxisse videtur (2), utitur Procopius Caesareensis (3) in simili oratione, qua Bessam inducit Persis mortem voluntariam dissuadentem his verbis: *Βίαιος μὲν καταςροφὴ ἄχρηςος καὶ ἄνοια προπετής, τὸ δὲ εἰς θάνατον θράσος ἀνόητον τοῦ δραςηρίου πρόσχημα οὐκ εὐπρεπὲς τοῖς γε σώφροσιν εἶναι δοκεῖ. καίτοι καὶ τοῦτο ἐκλογίζεσθαι χρή, μή τι δόξητε καὶ εἰς τὸ θεῖον ἀγνωμονεῖν.*

Quinctilianus, ut in longinquas regiones paullum exspatiata mea oratio ad Romanos redeat, censet neminem aestimari posse, praesertim nisi

---

memoratur oratio Eleazari, qui suis omnimodo mortem voluntariam persuadere quidem conatus est, eorum vero animos movere minime potuit; proprius enim, ut ait Josephus, quemque apertissimus deterrebat interitus aliusque alium intuens contrarium voluntatis suae motum lacrumis designabat. (1) De Exc. Hier. III, 17. (2) De veterum dissensu, num ethnicis an Christianis adscribendus sit Procopius, vide Fabr. B. Gr. VI, p. 248 sq. (3) De Bell. Goth. IV, 12, corp. script. Byz. Part. II, Vol. II, p. 519 ed. Bonn. 1833.

gravis caussa adsit, ratione necem sibi conscivisse ([1]): „Jam mihi narras moras: ipsum illud secretum quaerere, et putare interesse ubi pereat, non est ardentis in mortem impetus. Non fiunt ista nisi subito ([2]); nec quisquam, praesertim nulla gravi praecedente caussa, spiritum ratione deposuit." Quum multi saepe futili tantum caussa manus sibi inferant, multi etiam sic e vita cedere properent, ut hoc consilium neque prius nuntient neque fateantur; alii denique quos sceleris conscientia vel gravioris cruciatus metus impellat, caussas coram senatu proferre ausuri non sint; lex autem pereundi temeritatem tantum timeat, non vero secretum doloris alieni inquirat: ideo futilem esse docet Quinctilianus legem, quae jubeat caussas senatui deferri, ut ipse senatus, non vero is qui manus sibi inferre cogitet, caussarum gravitatem aestimet ([3]).

Martialis, quum manus sibi inferendi insaniam ignaviae ut plurimum tribuat ([4]), Stoicos graviter perstringit quod nimis et mortem lau-

---

([1]) Decl. CCCXLIV. ([2]) Similiter Ajax, apud Sophoclem, v. 852 sq., se interfecturus:

'Αλλ' οὐδὲν ἔργον ταῦτα θρηνεῖσθαι μάτην·
'Αλλ' ἀρκτέον τὸ πρᾶγμα σὺν τάχει τινί.

([3]) Decl. IV, in primis c. 9 sqq. Cf. Decl. CCCLXXVII. ([4]) Cff. Epigr. II, 80:

Hostem quum fugeret, se Fannius ipse peremit.
Hic rogo non furor est, ne moriare, mori?

et supra p. 310.

darent, et vitae arbitrium homini concederent, ut ex duobus ejus epigrammatibus apparet ([1]):

Quod magni Thraseae consummatique Catonis
Dogmata sic sequeris, salvus ut esse velis,
Pectore nec nudo strictos incurris in enses,
Quod fecisse velim te, Deciane, facis.
Nolo virum facili redimit qui sanguine famam,
Hunc volo, laudari qui sine morte potest.

Hunc vero mortis contemtum non animi fortitudinem, sed potius paupertatis comitem esse habendum, altero epigrammate docet:

Quod nimium mortem, Chaeremon Stoice, laudas,
Vis animum mirer suspiciamque tuum.
Hanc tibi virtutem fracta facit urceus ansa
Et tristis nullo qui tepet igne focus,
Et teges et cimex et nudi sponda grabati,
Et brevis atque eadem nocte dieque toga.

Lucianus, de cujus tamen sententia ex ejus scriptis comico sale ubivis adspersis judicare vix possumus, in Tyrannicida ([2]) suicidium vocat mortem omnium miserrimam, multoque molestiorem ea quae ab alio inferatur, fabulamque de Peregrini morte, in qua sophistarum more multa finxit ([3]), ideo composuit, ut hunc philosophum carperet et rideret quod mortem non exspectavisset, sed gloriae suae serviens in pyram se conjecisset ([4]).

Galenus, ut celeberrimo hoc medico, qui

([1]) I, 8 et XI, 56. ([2]) c. 18. ([3]) Cf. Gellius, N. A. XII, 11. ([4]) Cff. in primis c. 21 et c. 35 sqq.

tam Academicis et Peripateticis quam Stoicis placitis imbutus erat, hanc descriptionem absolvam, suicidii caussam tam in animi quam in corporis vitio, animi scilicet imbecillitate, corporis vero affectuum vehementia, latere judicasse videtur; quam sententiam ex his ejus verbis ([1]) elicio. Ἀνὴρ δ' οὐδεὶς μεγαλόψυχος οὔτ' ἐπὶ λύπαις, οὔτ' ἐπὶ τοῖς ἄλλοις ὅσα λύπης ἰσχυρότερα, θανάτῳ περιέπεσεν· ὅ τε γὰρ τόνος τῆς ψυχῆς αὐτοῖς ἰσχυρός ἐστι, τά τε παθήματα σμικρά.

Licet longe absit ut cum Robeccio, in famoso ejus opere de εὐλόγῳ ἐξαγωγῇ ([2]), statuamus, mortem voluntariam omnium antiquorum populorum sensibus, moribus et institutis congruentem fuisse, fatendum tamen ex tota hac disquisitione illud elucere, ut nullum philosophum novimus qui pro libitu e vita recedendum esse duxerit (de Hegesia enim, quem commendasse quidem mortem referunt veteres, argumenta vero quibus usus est non afferunt, nihil affirmo), ita vix ullum apud veteres fuisse philosophum qui non imbecillitati humanae aliquid largiretur. Senectuti, tanquam caussae e vita recedendi non tantum barbaris verum etiam nonnullis antiquae Graeciae populis vulgo receptae, concesserunt Pythagorei, Aristoteles,

---

([1]) De loc. affect. Lib. V, c. 1 in fine. ([2]) p. 178, 312.

Seneca ([1]), Juncus ([2]), alii; corporis doloribus vitaeque aerumnis Cynici, Cyrenaici, Epicurei, plerique Stoici, ipse adeo Plato; insaniae imminenti Plotinus; sapienti denique familia Stoica. Consentiunt scilicet in eo praecipui philosophi apud veteres, quod justam e vita recedendi caussam postulant; dissentiunt vero a ceteris sectis Stoici, non quo, ut vulgo arbitrabantur interpretes, morti voluntariae faventes caussas e vita recedendi augerent liberumque homini vitae arbitrium concederent, sed ita ut, quum ceteri vulgari homini nonnumquam vitae suae finem imponere permitterent, Stoica doctrina, sapientem tanquam perfectum virtutis exemplar Dei simile sibi proponens, hunc demum, virtute ejus periclitante, aequum vitae suae arbitrum dici posse existimaret. In gravissimum igitur errorem

---

([1]) Cf. supra p. 323. ([2]) Juncus, ex cujus libro de Senectute quatuor eximia fragmenta servavit Stobaeus, in Flor. Tit. 115, 26. 116, 49. 117, 9. 121, 35 ed. Gaisf., licet in nullo de morte voluntaria diserte disputet, in secundo horum fragmentorum, in quo de senectutis aerumnis, cum propter corporis infirmitatem ejusque naturam imbecillem, tum propter contemptum quo homines in senes vulgo despiciunt, egregium in modum disserit, senectutem esse censuit humanae vitae aetatem qua, quum nullis vitae muneribus fungi diutius homo possit, ipsum adeo sedere vel jacere ei labor, ipse mortis foras jam ingressus videatur, quum, accedente etiam paupertate, ducis, nutritoris, vestis, tecti, cibi, potus, ejus adeo qui aquae haustum ei porrigat, indigeat, homini ut tandem e vita liberetur vota facienda videantur. Cf. supra p. 328, nota 1.

ii profecto inciderunt, qui, quum vitae taedio, propter dolores vitaeque calamitates, propter futilem adeo caussam mortem sibi irrogandi propositum foverent, quum affectibus regerentur, cupiditatibus inservirent, se Stoicae philosophiae praecepta sequi palam profiterentur. Vindicant sibi leves isti homines philosophiam quae soli sapienti, viro omnibus animi perturbationibus immuni, qualis vulgus ne cogitare quidem potest, esset accommodata. Gravis, imo gravissima, caussa requirebatur ut sapiens sibi mortem consciseret, eaque talis, qualis in vulgarem hominem cadere numquam poterat. Dolores, morbi, vitae aerumnae, quae toties mortis oppetendae caussae esse solent, sapienti aequo animo erant perferendae. Verum atque perfectum consectabatur, gravitatis et constantiae rationes tuebatur philosophia Stoica, in cujus mente vis atque flamma spirabat, qualis in ceteris sectis vulgo desiderabatur. Commendanda igitur mascula haec philosophia iis praesertim qui corporis vel animi aegritudinibus aut fortunae calamitatibus pressi angantur, non ut dolores et labores morte effugiant, sed ut in ejus praeceptis solatium animique fortitudinem ad vitae aerumnas perferendas inveniant.

Catalogus

SCRIPTORUM TAM VETERUM

QUI DE MORTE VOLUNTARIA EGERUNT

QUAM RECENTIORUM

QUI ANTIQUORUM ILLUD PLACITUM

EXPOSUERUNT.

SCRIPTORES VETERES.

---

(1) Hoc fragmentum, quod antea in editionibus ita exhibebatur, ut prior pars tantum usque ad verba αἰτιωμένης Teleti Pythagoreo ἐκ τῶν περὶ Αὐταρκείας, posterior a verbis ἀνωδύνῳ ὄντι ποιεῖν usque ad verba ἀλλ᾽ εὐθαρσῶς τῇ πρώτῃ incerto auctori tribueretur, quum cetera prorsus desiderarentur, Gaisfordus, ut nunc in ejus Stobaei

---

Florilegii editione legitur, restituit e codice Ms. Bibl. Reg. Par. N°. 2656 bombycino, sec. XIV, ut quidem Gaisfordo (quem vide in Praef. ad Tom. I, p. IV sqq.) videtur, exarato. Hujus codicis, quem ceteris hactenus cognitis praestare testatur Gaisfordus; auctoritatem ceterum minime sollicito, neque etiam priorem fragmenti partem Teleti abnegandam puto; sed unice de posteriore dubito num haec quoque Pythagoreo tribuenda videatur; nisi igitur Teletem, qui Stilponem, Zenonis Cittiaci magistrum, audivisse videtur (Cf. Lips. Man. ad Stoic. Phil., III, diss. 7), non Pythagoreum, sed iisdem atque Stoicos principiis imbutum fuisse dicamus, verisimile mihi videtur, scriptorem, qui hunc codicem exaraverit, cum argumenti similitudine, tum maxime Diogenis et Bionis mentione, comparatione illa vitae humanae cum scena, hominis cum histrione, qua tam Pythagorei quam Stoici utebantur (Epict. Ἐγχ. c. 17, supra p. 177), in utroque fragmento deceptum, duo diversa fragmenta in unum conflasse. Teletem et Musonium eadem argumenta attigisse novimus; similis argumenti est Musonii fragmentum πότερον ἰσχυρότερον ἔθος ἢ λόγος atque Teletis περὶ τοῦ δοκεῖν καὶ τοῦ εἶναι (Gaisf. in Append. e Ms. Flor. p. 15 sqq.); supersunt utriusque fragmenta περὶ φυγῆς (Flor. Tit. 40, 8, 9), et, ut Teletis fragmentum περὶ αὐταρκείας, ita Musonii plura supersunt, quibus temperantiam et frugalitatem commendavit, ne de minoribus loquar, περὶ τροφῆς, περὶ σκέπης, περὶ σκευῶν, περὶ ἀφροδισίων, περὶ ἀσκήσεως. Nullius momenti esse illam Diogenis et Bionis mentionem, tum ex communi consuetudine philosophorum, qua antiquorum philosophorum sententiis vel suam sententiam confirmare vel sua scripta irrigare solebant, tum inde maxime apparet quod Diogenis saltem, Cratetis, Socratis mentio, ut in hoc fragmento,

Olympiodorus, Scholia in Plat. Phaed. Cod. Ms., Bibl. Voss. N° 38 fol., Bibl. Lugd. Bat. Mss. Gr. Voss. N° 55 fol., p. 1—5. . pag. 252 sqq., 292 sq., 295 sqq., 307 sq.

---

ita etiam in Musonii fragmentis occurrit (Flor. Tit. 40, 9. 67, 20). Neque mirum utriusque fragmenta non satis discreta fuisse, ut enim fere constat Epictetum ipsum nihil scripsisse, ita idem de Telete et Musonio affirmandum videtur; fragmenta igitur quae supersunt ἀπομνημονεύματα, ex iis quae in scholis docuerant ab eorum discipulis vel a posteris descripta, fuisse suspicor, ita quidem ut, prouti Arrianus et Rufus Epicteti, ita Lucius, ut videtur Claudius Pollio, Musonii, Theodorus Teletis Pythagorei ἀπομνημονεύματα collegerint (Cf. Wytt. Bibl. Crit. P. VIII, p. 128 sqq., Misc. Doct. Lib. II, p. 21, 22); cui opinioni cum Teletis Thebas exsilium (Cf. Lips. Man. ad Stoic. Phil. I, diss. 6), tum tempora quibus Musonius floruit, Neronis scilicet imperium, quem novimus omnes philosophos, in primis Musonium, esse persecutum (Cff. Dio Cass. LXII, 27, Tac. Ann. XV, 71), favere videntur. His praemissis ad ipsum de quo quaeritur fragmentum accedamus. Musonii fragmenta supersunt περὶ φυγῆς, plura de frugalitate, et, quod maxime tenendum, de optimo senectutis viatico, in quo ultimo fragmento vitam secundum naturam mortisque contemtum commendat, ex divitiis autem nullam animi tranquillitatem vel doloris vacuitatem exspectandam esse docet; quae quidem argumenta cum iis quae in secunda hac fragmenti parte occurrunt optime conveniunt. Pythagoreos arbitrium vitae unice senibus concessisse jam supra docuimus; hîc vero fragmenti auctor summam paupertatem et, ut videtur, summos etiam cruciatus corporis tanquam caussas affert e vita recedendi, quas caussas a Stoicis vulgo receptas fuisse novimus (Cff. in primis Seneca, Ep. 58, et supra p. 252 sq.); celebrat maxime vim opportunitatis,

---

quam summam fuisse in Stoica doctrina non uno loco docuimus; utitur comparatione humani corporis cum domo, qua cum alii Stoici, tum maxime Epictetus et Antoninus sententiam suam de morte voluntaria confirmarunt; comparatione discessus e vita cum convivio, quam usu receptam fuisse apud Stoicos ex uno Olympiodori loco satis superque elucebit. Ipsa denique mentio Socratis non tantum non repugnat conjecturae Musonii esse hanc fragmenti partem, sed eam adeo confirmat; e Stoicis enim ad Socratis doctrinam Epictetus et Musonius, qui pari passu ambulasse videntur, proxime accesserunt. Haec sunt argumenta, quae me quidem moverunt ut hanc saltem hujus fragmenti partem Stoicae doctrinae potius quam Pythagoreae adscriberem. Musonii illam esse item opinati sunt, praeter Gatakerum, Lipsium, Fabricium quos supra p. 232 retulimus, Raumburger sive Rachelius, diat. de morte vol., th. 48, Robeccius, de εὐλ. ἐξαγ. p. 66, quem secutus est Funccius in diss. prael. de mort. vol. p. XXXI, Gesnerus in suis Stobaei Flor. editt. et Peerlkampius, novissimus Musonii fragmentorum editor, p. 185 sqq., p. 315 sqq. Ante editum a Gaisfordo fragmentum, quantum novi, solus Nieuwlandus in dissertatione sua de Musonio Rufo, apud Peerlkampium p. 67, nihil certi tamen statuens, fragmentum illud sive a Telete sive a Junco profectum esse putavit. Novissime Gaisfordum secutus est Jacobsius, Lect. Stob. p. 44—46.

---

(1) Cf. Fabr. B. Gr. Tom. IV, p. 44 sqq.

(1) Polybii, quem ut Panaetii discipulum Stoicis accenset Fabr., B. Gr. Tom. II, p. 409, de suicidio sententia haec est: Οὐκ ἔλαττόν ἐςιν ἀγεννίας σημεῖον, τὸ μηδὲν αὐτῷ συνειδότα μοχθηρὸν προεξάγειν ἐκ τοῦ ζῆν αὐτόν, -- τοῦ παρὰ τὸ καθῆκον φιλοζωεῖν.

---

[1] Funccius, op. l. p. XV, Victorius, Var. Lect.,

Lib. VI, c. XI, p. 82, Voetius, de hom. et laes. suiips. Disp. Theol. IV, p. 245 et Meerman, de autoch. p. 5, perperam asserunt Varronem scripsisse *librum περὶ ἐξαγωγῆς*. (¹) Cff. Heynius, Servius et Juvencius ad h. l.

SCRIPTORES RECENTIORES.

Addison, Caton Tragédie, p. 81 suiv., la Haye, 1745.

Alciatus, And. Emblem. p. 431 sqq., 603 ed. Claud. Minoïs, Antv. 1581.

Alethaeus, Theoph. Oratiuncula sistens Catonem Uticensem sua manu intereuntem, seu virum omni ideo laude indignum nec ab ullo veterum philosopho aut alio sibi constanti ob caedem laudatum. Norimb. 1714 (1).

Alexander ab Alexandro, Genialium dierum, Lib. V, c. 28, Tom. II, p. 390 ed. Lugd. Bat. 1673.

Augustinus, de C. D. I, 19, 22 sqq., III, 27, XIX, 4. . . . . pag. 259, 275 sq., n. 1.

Barthelemy, Voyage du jeune Anacharsis en Grèce, Tom. I, p. 105, Liège, 1790.

---

(1) Quod opusculum rarissimum nec mihi legere contigit.

(1) Opus nuper Belgice prodiit: De zelfmoord in het licht der geschiedenis, naar Aug. v. Blumröder, T. P. Sterk, Breda. (2) Cf. Saxii Onom. lit., P. VIII, p. 115.

---

(1) Germ. Abh. über den Selbstmord, Leipzig, 1775.

(¹) Rec. v. in Journ. des Sav. pour l'année 1705, Tom. XXXIII, p. 867—872. Cff. Fabr. B. Gr. III, p. 578 n. ed. Harl., G. G. Hermann, de autoch. et phil. et ex legg. Rom. cons., lit. not. et rec. p. VI, n. I.

(¹) Vern. serm. conv. a ICto J. van Leeuwen: Over de vrees voor den dood, over het verachten van den dood en over den zelfmoord. (Uitgelezene verhandelingen door J. F. Hennert, D. V, bl. 83—153, Utrecht, 1788). (²) Auctor hujus commentationis, ab universitate Goettingensi praemio ornatae, plerorumque errorem, recentiores Stoicos e Christianis principiis hausisse, optime refutat, cum e contemtu quo tum temporis Christiani habebantur, tum ex eo quod recentiores, consensum in dissimilibus locis quaerentes, verborum similitudinem magis apprehenderent quam contextus rationem haberent, neque haec ipsa dicta e Stoicis principiis deduci posse tenerent. Cff. ipsius operis p. 152 sqq.

Montaigne, Mich. de, Essais, Liv. I, ch. 36, 40, Liv. II, ch. 3, 11, 13, 28, 35, Liv. III, ch. 4. . . p. 262 sq., 282 sq.

Montesquieu, Cons. sur les causes de la grandeur des Romains et de leur décadence, ch. XII. . . p. 278.

Moor, Bernh. de, Comm. in Marckii comp. theol. Christ. didact. - elenct., Lib. II, c. 12 de decal., § 22, p. 865 sq.

Muretus, M. Ant. Var. Lect. Lib. IV, c. 2, pag. 35 ed. Ven. 1559.

Nieuhoff, V. M. Εὐθανασία seu ars bene moriendi, p. 14 sqq. Harderov. 1804. . . . p. 266, n. 1.

Nieuwenhuis, F. J. Domela, de Αὐτοχειρίας facin. ex Rel. Chr. praec. et ind. jud., p. 16, 19, 20 sq., 56 sqq. Lugd. Bat. 1833 (1). . pag. 248, n. 1, 278.

Oesfeld, Gotthelf Fred. (Resp. Fred. Christ. Goering) Diss. hist. - phil. de Stoicorum in defendenda M. Catonis autochiria errore. Halae, 1756 (2).

Oettelius, Guil. Comm. hist. phil. de consuetudine veterum heroum aliorumque illustrium virorum mortem voluntariam sibi consciscendi, cum ab omni humanitate, tum ab omnibus verae philosophiae legibus aliena. Lips. 1806.

Orosius, P. Hist. IV, 5, 6, 20. V, 7, 10. VI, 16, 18 sq. VII, 5, 8, 35.

Perre, Jo. Adr. van de, Diss. de homicidio suiipsius, § 6 et 7, p. 10 sqq. Lugd. Bat. 1757. . p. 248, n. 1.

Petitus, Petr. misc. observ. Lib. IV, c. 3, p. 246 sqq. Traj. ad Rhen. 1682. . p. 248, n. 1, 266, n. 3.

(1) Huj. op. rec. vid. in Godgel. Bijdr. D. VIII, bl. 906 volg., 1834. (2) Quae dissertatio nomine tantum mihi innotuit.

Petrarcha, Franc. de Remediis utriusque fortunae, Lib. II, dial. 118. . . . . pag. 266.

Pufendorf, Sam. de jure nat. et gent. Lib. II, c. 4, § 17 sqq., p. 177 sqq. ed. Amst. 1688.

Rachelius (1), Sam. (Resp. Ant. Raumburgero) Diatri. mor. de morte voluntaria, thes. XIII sqq. et passim. Helmest. 1659. . . . pag. 258, n. 5.

Reinhard, Franc. Volkm. Disp. phil. de morte voluntaria, quid et quam clare praecipiat philosophia ad locum Platonis in Phaedone. Viteb. 1778. In Ejus Opusc. Acadd., quae Pölitzius edidit, Lips. 1808, Vol. I, No 2, p. 67 sqq. . pag. 277 sq.

Robeck, Joh. Exerc. phil. de εὐλόγῳ ἐξαγωγῇ cet., p. 42 sqq., 56 sqq., 74 sqq., 80 sqq., 179 sqq.; et passim. Rint. 1736.

Rousseau, J. J. la nouvelle Héloïse, Coll. compl. Tom. II, Part. III, Lett. XXI, p. 416 suiv., Lett. XXII, p. 442 suiv. edit. de Brux. 1804. . . . p. 280.

Staël Holstein, Mad. de, Oeuv. compl., Tom. III, Réflexions sur le Suicide (2), p. 335, 346 suiv. . p. 284.

Staeudlin, C. Fr. Geschichte der Vorstellungen und Lehren vom Selbstmorde. Gött. 1824. . p. 247 sq.

Stahr, Ad. Aristotelia, Th. I, S. 152 ff. p. 314, 316.

---

(1) Haec dissertatio, a Raumburgero defensa, scripta est a Rachelio, qui ipse in notis suis ad Cic. de Off. I, 31, ait, se in illa dissertatione dementiam, qua Cicero, Seneca et alii factum Catonis collaudant, refutasse et solidis argumentis ostendisse Stoicorum εὔλογον ἐξαγωγὴν esse prorsus ἄλογον. (2) Separatim prodiit Lond., Stockh. et Berol. 1813, Brunsv. 1814. Germ. Fr. Gleich, Betrachtungen über den Selbstmord von Anna Germaine, Baroninn von Staël-Holstein, Stralsund, 1813.

Stephanus Byzantinus, περὶ πόλεων, voce Ἰουλίς, p. 421 ed. Lugd. Bat. 1694.

Stollius, Hist. phil. mor. gent., § CLXXVII, p. 299.

Stuart, M. Over den zelfmoord der ouden. Nagelatene verhandelingen, Deel II.

Suidas, vocibus Ἀναξαγόρας, Tom. I, p. 172 sq., Ἀντισθένης, p. 230, Ἀποκαρτερήσαντα, p. 275, Ἀρίσαρχος, p. 321, Ἀριστοτέλης, p. 328, Δημόκριτος, p. 543, Δημοσθένης, p. 544, Ἐρατοσθένης, p. 850 ed. Kust. . pag. 225 sq., 309 n. 3, 315.

Taylor, Jer. Ductor dubitantium ou règles pour la conscience, p. 139 fol. ed. 3ª. Lond. 1676.

Tennemann, W. G. Gesch. der Phil., Th. V, S. 169 folg. . . . . pag. 262.

Tertullianus, Q. Sept. Flor. ad Martyras. Opp. omn. Tom. I, p. 157, ed. Rigalt. Lutet. 1634.

Theodoretus, Ἑλλην. Θεραπ. παθημ. Serm. VIII. Opp. omn. Tom. IV, p. 601. Lut. Par. 1642.

Thierens, Jo. Guilh. de defensione sui quantumvis licita, certo tamen cum moderamine instituenda, p. 3 sqq. Traj. ad Rhen. 1770. . . p. 248, n. 1.

Tiedemann, Diet. System der Stoischen Philosophie, Th. III, S. 309—321. Leipzig, 1776. . pag. 249 sq., n. 1.

Tzschirner, Heinr. Gottl. Leben und Ende merkwürdiger Selbstmörder. Nebst einigen den Selbstmord betreffenden Abhandlungen. Weissenfels und Leipzig, 1805.

Uptonus in Arrianum ad Epictetum, I, 9, Tom. II, p. 34 sq. . . . . . . pag. 242, n. 1.

Victorius, P. Variae Lectiones, Lib. VI, c. XI, p. 82 sq. . . . . pag. 251, n. 1.

SCRIPTORES VETERES QUI EMENDANTUR VEL ILLUSTRANTUR.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Quum bibliopolae incuria Tiedemanni opus, System der Stoischen Philosophie, per annum et quod excurrit exspectatum, tum demum legere mihi contigerit, quum primae chartae typis jam essent mandatae; quas inveneram Patris in hoc opus annotationes, suo loco omittendas, ne temere iis assentiri viderer, hic in operis calce inserendas esse duxi.

P. 1, n. 1, l. 2 *S.* 363 *ff.* leg. *Th.* I, *S.* 363 *ff.*
— 3, — — - 2 *c.* 15 —- *c.* 45
— 3, — — - 8 *cequ'on a pû* — *ce qu'on a pu*
— 4, - 11 *et mathematicos* —- *, physicos et ethicos*
— 4, -pen. verba *cum sectis aliis collata* deleantur.
— 8, — 2, - 3 ad vocem *Vorstellung* cf. Tiedemannus, op. l. Tom. I, p. 60 sqq., ubi voeem *φχντασίαν* vertit *Vorstellungs-Kraft;* quae enunciationes non omnes vocis *φαντασίας* significationes referunt.

P. 9, n. 1 *p.* 910 leg. *p.* 900
— 11, l. 18, 19 tollatur comma post *comprehensio* et post *illi*
— 14, n. 1, l. 1 *καταλήψιν* leg. *κατάληψιν*

P. 16, n. 1, l. 2 *philosopho :* leg. *philosopho ,*
— 16, — — — 7 909 — 899
— 16, — — — 22 *p.* 937 *B*—ἐνεργεία — *p.* 637 *B*, *C*—ἐνέργεια
— 17, — 14 ἐναργείαν — ἐνάργειαν
— 23. Emendatio, quam proponit Tiedemannus, op. l. Tom. I, p. 228, ad D. L. VII, § 77: ἀπέραντοι μὲν—οὐ μάχεται, jam ab Henr. Stephano prolata fuit; miror vero Tiedemannum, Tom. I, p. 216 sq., fugisse corruptum locum Laërtii, VII, § 45: εἶναι δὲ τὸν λόγον αὐτὸν συςημάτων καὶ ἐπιφορᾶς· quo loco Meibomius jam conjecerat σύςημα ἐννοημάτων καὶ ἐπιφορᾶς· mihi vero legendum videtur, σύςημα λημμάτων καὶ ἐπιφορᾶς, conjectura ducta e Sexto Empirico, Pyrrh. Hyp. II, § 135: λόγος ἐςὶ σύςημα ἐκ λημμάτων καὶ ἐπιφορᾶς. Coll. D. L. VII, § 76.
P. 26, l. 4 κράσις leg. κρᾶσις
— 28, - 17 ad vocem ἕξις cff. Tied. op. l. Tom. II, p. 46 sq. ibique laud. Gatak. ad M. Ant. VI, 14. Tiedemannus hoc loco vocem ἕξιν vertit *Kraft;* in altero suo opere, Geist. der Spec. Phil. Th. II, S. 449, *zusammenhaltende Kraft;* quae significatio rite quidem procedit, si de corporis natura, minime vero si de animi facultatibus ἡ ἕξις dicitur; rectius hanc vocem per *Bestand* Germanice reddidisset. Cff. quae monuimus p. 104 sq. n.
P. 29, l. 6 ἐςι leg. ἐςὶ
— 29, n. 4, l. 4 sq. Patris conjecturam Tiedemanno tribueram; hic enim λόγους σπερματικοὺς vertit *Gesetze der Elemente*, obscura ut ipse fatetur enunciatione, quam adhibita voce *Naturgesetze* procul dubio vitasset.
P. 31, l. 20 Leibnitsius leg. Leibnitzius
— 32, n. 1 1838 — 1738
— 32 sq. Apparet Tiedemannum, Syst. der Stoisch. Phil. Th. II, S. 69, 90 ff., non percepisse doctrinam Stoicorum de elementis, quum statueret, eos aëri hanc quoque

vim tribuisse, ut rudi materiae certas formas daret; eos scilicet aëri, principio patienti sive materiae, principii agentis sive Dei vim concessisse. Quae Tiedemanni opinio inde orta videtur, quod etiam auctoritati Plutarchi, qui, adv. Stoic. p. 1085 E, ut Stoicos refutaret, eorum sententiam pervertit, non solius Laërtii, qui eam ex ipsis Stoicorum libris retulerat, fidem habendam esse duxerit. Cf. Tied. l. l. p. 71 sq., 88, 133 sq., 147, 150. Singula elementa suam naturam servant; accedente vero principio agente aër in aquam, aqua in terram commutatur. Ex eodem fonte repetendus videtur alius error Tiedemanni, Tom. II, p. 180 sqq., 197 sqq., quo mundum e Stoicorum sententia actione mechanica materiae, quae iners est, ortum et interiturum esse affirmat, Stoicisque, quum divinae naturae praestantiam extollerent, repugnantias tribuit, ipsi interpreti imputandas. Cff. quae monuimus p. 30, 33, 35 sqq., 58 sqq.

P. 36, n. 2, l. 1 tollatur comma post *qui*
— 37, - 6 *mnndi* leg. *mundi*
— 48, l. 16. sqq. *Porro—diffusa.* Sequitur ex iis quae hoc loco monuimus, non procedere sententiam Tiedemanni, Op. l. Tom. II, p. 148, 207 sq., 224 sq., statuentis Stoicos sua doctrina animam mundi, specie quidem tantum rationalem, re vero etiam irrationalem finxisse. Anima mundi scilicet, in qualiacunque corpora incidat, ratione praedita semper manet, sed, velut radii solis, pro diversitate corporum vario modo ea afficit.

P. 44, l. 3 *αδυνατῶν* leg. *ἀδυνατῶν*
— 45, - 14 *eum* —- *eam*
— 45, n. 2, *Serm.* I, —- *Serm.* II,
— 46, — 1, - 1 *adv.* —- *de Rep.*
— 48, — — addatur: Baguet, in Chrysippo, p. 184.
— 53, ἡνώμενον ἡνώμενα leg. ἡνωμένον ἡνωμένα
— 53, l. 19 *coutinentur* —- *continentur*
— 57, - 1 tollatur comma post *abhorreat*
— 69, n. 1. De allegorica fabularum apud Stoicos interpretatione cons. H. N. van Teutem, de orig. et progr. apud

antiq. alleg. fab. interpr., p. 69 sqq., 78 sqq. Traj. ad Rhen. 1823.

P. 69, n. 1, l. 6 deleatur *p.* 100

— 76, — 2, - 1 et 2 446 *B*, 448 *A* leg. 446 *A*, 448 *B*

— 77, l. 20 *συγκατάθεσις*, quam enunciationem Tiedemannus, op. l. Tom. III, p. 12 in Stoicorum doctrina obscuram esse censet. *Πάσας τὰς ὁρμὰς συγκαταθέσεις εἶναι* (Stob. Ecl. Eth. p. 164 ed. Heer.) facile intelligitur ex definitione *τῆς ὁρμῆς*, quod sit animi impetus ad aliquid, qui sine assensione ferri ad aliquid non potest.

P. 81, l. 19 sqq. Tiedemanno, op. l. Tom. III, p. 78 sq., diversae esse videntur sententiae Zenonis, Cleanthis et Chrysippi: immo putem Cleanthem plenius magistri sententiam exhibuisse et nihil hac in re ab eo dissensisse; retenta vero eadem sententia Chrysippum eam amplificasse, hac in parte more suo sibi indulgentem, quod eam acutius latiusque definiverit.

P. 86, l. 1	*re*	leg. *rei*
— 89, - 8	*ἀγχινοίαν-νουνεχείαν*	— *ἀγχίνοιαν-νουνέχειαν*
— 89, - 17	*εὐσεβεία*	— *εὐσέβεια*
— 90, - 18	*ἐγκρατεία*	— *ἐγκράτεια*
— 94, - 4	*virtutis—vitii*	— *virtutes—vitia*

— 95, - 7 tollatur comma post *effertur*

— 109, - 2	(3)	leg. (1)

— 113, -ult. ponatur comma post *vires*

— 136, - 23	*secundam*	leg. *secundum*

— 140 sq. Non adsentior Tiedemanno, op. l. Tom. III, p. 88, statuenti, ex argumentis Stoicorum quibus ostendere conati sunt *τὸ καλὸν* solum esse expetendum nihil aliud effici, nisi quod saepius commodi nostri studio non abripiamur, minime vero virtutes propter se esse expetendas. Parvi scilicet appetunt ea quae ipsis prosunt, fugiunt quae ipsis nocent, itaque dolorem aversantur appetuntque quod ipsis voluptatem affert et statum suum conservat sine ulla ratione officiorum, quae si perspexerint et viderint rerum agendarum

ordinem, saepe plus utilitatis afferre dolorem perpeti quam aversari, non recusant quin majus bonum pro minore malo consequantur. Cf. supra p. 83.

P. 153, l. 23 ad verba *amore sui.* Amor sui non est principium omnium actionum, ut censet Tiedemannus, Tom. III, p. 32, 39 sq. 95, 97, 281 sqq.; sed parvi, ratione nondum utentes, ad eum sponte impelluntur, aetate magis provecti jam discunt selectionem adhibere, cui selectioni deinde selectio cum officio accedit. Cf. supra p. 72.

P. 161, l. 1 *Decipiant* leg. *Desipiant*

— 161, - 13 et 15 tollatur comma post *loco* et post *tradita*

— 165, - 6 *sapientem* leg. *hominem, sapientiae studio ductum,*

— 167, - 6 *virtutis* — *virtutem*

— 183, n. 6 addatur: adv. Stoic. p. 1064 E, e Chrysippi libro tertio περὶ φύσεως.

P. 188, l. 16 tollatur comma post φύσιν

— 196 Scientiae vel rerum cognitiones et artes, Stoicis virtutes, non pertinent ad eas res quae statum nostrum conservant et ideo appetuntur, quia ipsi nos diligimus, ut Tiedemannus, Tom. III, p. 28 sq., Stoicorum repugnantias quaerendi studio ductus, docuit; sed, ab his rebus diversae, propter se ipsae sunt adsciscendae et assumendae, quod habeant veritatem, quae propter se diligenda est.

P. 203, l. 5 τοῦς leg. τοὺς

— 203, - 16 sq. *virtutem—contentam.* Tiedemannus, Tom. III, p. 73 sq., fatetur se non intelligere cur sapienti ipsa virtutis possessio vitam beatam reddat; quum enim ipsa beatitas, inquit, sensu laetitiae vel voluptatis contineatur, sapiens, quum non semper laetitia afficiatur, nec beatus semper dici potest. Huic Tiedemanni objectioni haec opponamus: omne bonum ratione continetur; sapiens igitur perfecta beatitudine fruitur, quippe qui omnia bona et mala quae ei accidant ratione metiatur: itaque si aegrotet, crucietur, parentibus amicisque orbetur, honoribus privetur, felicitas ejus non minuitur; nam vel fortiter ea fert, ita ut in fortitudine sua beatum se putet, vel, si nimia sunt, se

ab iis liberat sponte vitam relinquens, quam nec in ultima hac extremitate prae infelicitate relinquit, sed quod intelligat vitam contra naturam esse rejiciendam.

P. 228, n. 1, l. 2 Casabonus leg. Casaubonus
— 232, - 21 *δε* — *δὲ*
— 232, - 26 *ἐζοικίζομαι* — *ἐξοικίζομαι*
— 237, — — addatur: Lips. Opp. Tom. II, Epp. Cent. IV Misc., Ep. 14, p. 347, Cent. III ad Belg. Ep. 83, p. 1048 sqq.
P. 238, n. 3, l. 2 *Cent. 2,* leg. *Cent. 2 Misc.,*
— 240, in n. - 1 (3) — (1)
— 243, n. 5 deleatur, 160 *F*
— 245, —16 II — IV
— 252, - 2 *is* — *iis*
— 252, — 3, - 10 tollatur comma post Tydemanni
— 268, — 1 *p.* 761 *A* leg. Plut. *p.* 761 *A*
— 270, l. 12, 287, l. 1 Apollonium — Apollonidem
— 273, l. 26 *denudor.* — *denudor?*
— 275, - 19 tollatur comma post *accurrens*
— 282, — 1, - 5 *Franc.* — 1809 leg. *Franç.*—1819
— 295, -ult. (4) — (5)
— 295, in n. - 3 (5) l. 6 (4) — (4) (5)
— 296, — — -pen. (2) — (3)
— 304, - 18 *ποιησαντα* — *ποιήσαντα*
— 314, n. 7, -ult. *not. E* — *not. Z*
— 329, — 4, - 10 *v.* 467 — *v.* 463
— 332, l. pen. *ἀμαθια* — *ἀμαθίᾳ*
— 355, - 4 Phavorinus — Favorinus
— 373, - 16, 17, col. 2 *secutus a* Cleanthe — *eum secutus est* Cleanthes
— 374, - 22 sq., — 1, l. 24 sq., col. 2 *secutus a Stoicis* leg. *eum secuti sunt Stoici*
— 376, - 16, — 2 *manus* leg. *mortem*
— 378, - 3, — 2 *εὐκολ α* — *εὐκολία*